DE NUMERALIBUS LATINIS EPIGRAPHICIS

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE
IN LITTERARUM UNIVERSITATE LUTHERANA
HALENSI CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA RITE
CAPESSENDOS

SCRIPSIT

FRANCISCUS HALLBAUER
MAGDEBURGENSIS

HALIS SAXONUM MCMXXXVI

TYPIS MANDAVIT EDUARDUS KLINZ

DE NUMERALIBUS LATINIS EPIGRAPHICIS

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE
IN LITTERARUM UNIVERSITATE LUTHERANA
HALENSI CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA RITE
CAPESSENDOS

SCRIPSIT

FRANCISCUS HALLBAUER
MAGDEBURGENSIS

HALIS SAXONUM MCMXXXVI

TYPIS MANDAVIT EDUARDUS KLINZ

De dissertatione probanda ad philosophorum ordinem rettulerunt Ernestus Diehl et Franciscus Specht.

Examen rigorosum habitum est a. d. VIII. id. Mai. MCMXXXV.

Dissertatio typis expressa est Henrici Keilii stipendio liberaliter adiuvante.

Ordo et dispositio argumentorum

pagina

A. Introductio 1

B. Conspectus numeralium 19

1. Nomina numeralia propria 19
a. Numeri cardinales 19
b. Numeri ordinales 90
C. Numeri distributivi et adverbia numerorum . . . 115
α. Formae distributivorum 115
β. Usus dispertitivorum 118
γ. Formae adverbiorum 119
δ. Iterationes honorum 127
ε. Adverbia et numeri distributivi variant . . . 128
ζ. Adverbia et numeri cardinales variant . . . 129
η. Adverbia cum adverbiis coniunguntur 130
ϑ. Numeri distributivi et adverbia numerorum in titulis Hispanis 131
d. Numeri fracti 132

2. Vocabula a numeris derivata 133
a. Nomina propria 133
α. Nomina mensum 133
β. Nomina hominum 136
b. Verba cum numeris copulata 141

C. Finis 145

Libri

I. Fontes

Cagnat Inscr. Trip. = René Cagnat, Merlin et Chatelain: Inscriptions latines de la Tripolitaine, du Maroc et de la Tunisie, Paris 1923

CE = Franciscus Buecheler: Carmina Latina epigraphica, Lipsiae 1895/97; CE suppl. ed. Ernestus Lommatzsch, Lipsiae 1926

CIL = Corpus inscriptionum Latinarum

DE = Hermannus Dessau: Inscriptiones Latinae selectae, Berolini 1892—1916

Di = Ernestus Diehl: Inscriptiones Latinae christianae veteres, Berolini vol. I 1925, II 1927, III 1931

Diehl Altlat. Inschr. = Ernestus Diehl: Altlateinische Inschriften, Berlin 1930

Diehl Vulgärlat. Inschr. = Ernestus Diehl: Vulgärlateinische Inschriften, Bonn 1910

Eph. ep. = Ephemeris epigraphica

Espérandieu = Aemilius Espérandieu: Inscriptions latines de la Gaule Narbonnaise, Paris 1929 ss.

Fiebiger-Schmidt = Otto Fiebiger et Ludovicus Schmidt: Inschriftensammlung zur Geschichte der Ostgermanen, Wien 1917

Gsell = Stephanus Gsell: Inscriptions latines de l'Algérie, Paris 1922

Inscr. Brit. christ. = Aemilius Huebner: Inscriptiones Britanniae christianae, Berolini et Londinii 1876

Inscr. Hisp. christ. = Aemilius Huebner: Inscriptiones Hispaniae christianae, Berolini 1871, suppl. 1900

Le Blant = Edmundus Le Blant: Nouveau recueil des inscriptions chrétiennes de la Gaule antérieures au VIII ième siècle, Paris 1892

Rossi = Iohannes Baptista de Rossi: Inscriptiones christianae urbis Romae, Romae 1857—1888

Silvagni = Angelus Silvagni: Inscriptiones Italiae christianae, Romae 1922

Vollmer = Fridericus Vollmer: Inscriptiones Baiuariae Latinae, Monaci 1915

II. Scripta annua

ALL = Archiv für lateinische Lexikographie und Grammatik

Bonn. Jahrb. = Jahrbücher des Vereins von Altertumsfreunden im Rheinlande (Bonner Jahrbücher)

Glotta

IF = Indogermanische Forschungen

KZ = Kuhns Zeitschrift für vergleichende Sprachforschung

Not. scav. = Notizie degli scavi di antichità

Rev. arch. = Revue archéologique

Rev. ép. = Revue des publications épigraphiques (Annuaire épigraphique)

Woch. kl. Phil. = Wochenschrift für klassische Philologie

III. Lexica

Ernout-Meillet = Alfredus Ernout et Antonius Meillet: Dictionnaire étymologique de la langue latine, Paris 1932

Gamillscheg = Ernestus Gamillscheg: Etymologisches Wörterbuch der französischen Sprache, Heidelberg 1928
Georges = Carolus Ernestus Georges: Lexikon der lateinischen Wortformen, Leipzig 1890
Lübker = Friedericus Lübker: Reallexikon des klassischen Altertums, Leipzig 1914
Meyer-Lübke Wb. = Guilelmus Meyer-Lübke: Romanisches etymologisches Wörterbuch, Heidelberg 1930—1935
PW = Augustus Pauly et Georgius Wissowa: Realencyklopädie der klassischen Altertumswissenschaft, Stuttgart 1893 ss.
Thes. = Thesaurus linguae Latinae
Walde-Hofmann = Aloisius Walde: Lateinisches etymologisches Wörterbuch, ed. Johannes Baptista Hofmann, Heidelberg 1930 ss.
Walde-Pokorny = Aloisius Walde: Vergleichendes Wörterbuch der indogermanischen Sprachen, ed. Julius Pokorny, Berlin und Leipzig 1927—1932

IV. Libri grammatici

Gramm. Lat. = Henricus Keil: Grammatici Latini, Lipsiae 1855—1880
Grandgent = Carolus Grandgent: An introduction to vulgar Latin, Boston, New York, Chicago 1907
Hofmann = Johannes Baptista Hofmann: Lateinische Umgangssprache, Heidelberg 1926
Leumann = Manu Leumann: Lateinische Grammatik (Muellers Handbuch), München 1928
Lindsay-Nohl = Wallace Lindsay et Johannes Nohl: Die lateinische Sprache, Leipzig 1897
Meyer-Lübke Gr. = Guilelmus Meyer-Lübke: Grammatik der romanischen Sprachen, Leipzig 1892—1902
Neue-Wagener = Fridericus Neue et Carolus Wagener: Formenlehre der lateinischen Sprache, Berlin 1892—1905
Niedermann = Maximilianus Niedermann: Historische Lautlehre des Lateinischen, Heidelberg 1931
Seelmann = Aemilius Seelmann: Die Aussprache des Latein, Heilbronn 1885
Slotty = Fridericus Slotty: Vulgärlateinisches Übungsbuch, Bonn 1918
Sommer = Ferdinandus Sommer: Handbuch der lateinischen Laut- und Formenlehre, Heidelberg 1914

V. Monographiae aliae

Cagnat = René Cagnat: Cours d'épigraphie latine, Paris 1914
Carnoy = Albertus Carnoy: Le latin d'Espagne d'après les inscriptions (Le Muséon NS 2—6) 1901—1905
Diehl M = Ernestus Diehl: De M finali epigraphica, Lipsiae 1899
Dressel = Henricus Dressel: Ricerche sul monte Testaccio (Annali dell' instituto) 1878
Gercke-Norden = Alfredus Gercke et Eduardus Norden: Einleitung in die Altertumswissenschaft, Lipsiae et Berolini 1914—1933
Neumann = Franciscus Neumann: Verzeichnis der auf Aussprache und Rechtschreibung bezüglichen Eigentümlichkeiten in den Inschriften aus Gallia Narbonensis, Progr. Pola 1897/98
Pirson = Julius Pirson: La langue des inscriptions latines de la Gaule, Bruxelles 1901
Proskauer = Carola Proskauer: Das auslautende -s auf den lateinischen Inschriften, Argentorati 1910
Schuchardt = Hugo Schuchardt: Der Vokalismus des Vulgärlateins, Lipsiae 1866/68

VI. Dissertationes

Bindel = Arminius Bindel: De declinatione Latina titulorum quaestiones selectae, Jenae 1912

Christiansen = Jacobus Christiansen: De apicibus et I longis inscriptionum Latinarum, Kiliae 1889

Eckinger = Theodorus Eckinger: Über Orthographie lateinischer Wörter in griechischen Inschriften, Monaci 1892

Hehl = Albertus Hehl: Die Formen der lateinischen ersten Deklination in den Inschriften, Tubingiae 1912

Hoffmann = Maximilianus Hoffmann: Index grammaticus ad Africae provinciarum Tripolitanae, Byzacenae, Proconsularis titulos Latinos, Argentorati 1878

Knösel = Carolus Knösel: Über altfranzösische Zahlwörter, Gottingiae 1883

Pieske = Ericus Pieske: De titulorum Africae Latinorum sermone quaestiones morphologicae, Vratislaviae 1913

Prinz = Otto Prinz: De O et U vocalibus inter se permutatis in lingua Latina quaestiones epigraphicae, Halis Saxonum 1932

Schwarzlose = Waltharius Schwarzlose: De titulis sepulcralibus Latinis quaestionum capita quattuor, Halis Saxonum 1913

Söderström = Gunnar Söderström: Epigraphica Latina Africana, Upsaliae 1924

A. Introductio

§ 1. Numeri, qui in inscriptionibus Latinis inveniuntur, et aerae, anno, mensi, diei, horae, scripulo mortis aut depositionis hominum quorundam mortuorum indicandis et temporibus vitae atque matrimonii significandis positi sunt. Praeterea numeros legimus in titulis, qui poenas nummarias continent iis denuntiatas, qui sepulcra hominum mortuorum aperire audeant. Etiam liberi, iterationes honorum, legiones cohortesque, victoriae equorum curriculis partae, pecuniae, pretia, pedes, milia passuum multaeque aliae res numeris aut perscriptis aut notatis accuratius definiuntur. Nominum numeralium omnia, quae a sermone puro et Latino discrepant, indagare et explicare huius scripti est; nonnullas quaestiones selectas de vocabulis a numeris derivatis addam.

§ 2. Nonnulli grammatici Latini multique viri docti recentiores de numeris Latinis verba fecerunt.

Inter omnes grammaticos veteres Latinos Priscianus[1]) solus librum de numeris scripsit. Primum notas numerales Graecas et Latinas tractat, deinde nomina nummorum et ponderum, quae a numeris derivata sunt, tum numeros ipsos. Eorum cardinalium nominum, quae variant genera, etiam genus femininum et neutrum praebet. In ordinalibus formas inusitatas quoque affert, exempli gratia numero cardinali „nongenti" tres figuras ordinarias opponit: „noningentesimus", „nongentesimus", „nongesimus". Etiam in distributivis formas duplices memorat: „ducenteni et per syncopam duceni". Nomina distributiva etiam singulari modo in usu esse exemplis affirmat. Figuris inusitatis exceptis Priscianus formas optimae latinitatis attulit, sermonem vulgarem omnino neglexit. Sed nonnulli alii grammatici et antiquarii singulares numeralium formas vulgares tractant, exempli causa Probus[2]) in „Appendice": „dimidius non demidius" vel Consentius[3]) in „Arte de nomine et verbo, de barbarismis et metaplasmis": „barbarismus fit . . . accentus, ut siquis dicens triginta priorem syllabam acuat et sequentem graviter enuntiet, qui modus et per immutationem fieri videtur."

Probus[4]) in „Institutis artium" vel „Arte minore" nonnulla verba de declinatione numeralium facit cardinalium; sed numerum „unus" hoc loco omittit. Flexione duorum, amborum, trium absoluta reliqua cardinalia minora „aptote" pronuntiari demonstrat.

Ceteri rerum grammaticarum auctores et antiquarii summam numerorum non tractant, sed ad res quasdam grammaticas inter-

---

[1]) De figuris numerorum liber ed. Keil Gramm. Lat., Lipsiae 1859 vol. III p. 406 ss.

[2]) Gramm. Lat. IV 198, 27

[3]) Gramm. Lat. V 392, 4

[4]) Gramm. Lat. IV 122, 24

pretandas numeros singulares tantummodo eligunt. Quorum sententias in unoquoque numerali tractando afferam et indicabo, quoad ad formas epigraphicas pertineant [5]).

§ 3. Multo saepius viri docti recentiores de nominibus numeralibus egerunt. Quorum libros enumerans ita progredior, ut primum lexica, deinde opera grammatica, tum commentaria, quae de numeris conscripta sunt, afferam. E lexicis primum ea eligo, quae ad linguam Latinam solam pertinent, deinde lexica etymologica Indogermanica, Latina, Romanensia tracto. Etiam de operibus grammaticis disserens hunc linguarum ordinem conservo.

Thesaurus linguae Latinae [6]), qui universam latinitatem complectitur, usque ad hoc tempus numeros „ambo" [7]), „bini" [8]), „bis" [9]), „centeni" [10]), „centesimus" [11]), „centies" [12]), „centum" [13]), „decem" [14]), „decies" [15]), „decimus" [16]), „deni" [17]), „duceni" [18]), „ducenteni" [19]), „ducentesimus" [20]), „ducenti" [21]), „ducenties" [22]), „duo" [23]), „duodecies" [24]), „duodecim" [25]), „duodecimus" [26]), „duodeni" [27]), „duodetriginta" [28]), „duodeviginti" [29]) continet. Quo in opere nomina numeralia „ambo" et „duceni" usque ad „duodeviginti" Vollmer, „bini" et „bis" Bannier, „centeni" usque ad „centum" Hey, „decem" usque ad „deni" Gudeman tractavit. Eodem modo ac ceterorum nominum materia cardinalis „ambo" in particulas, quae de declinatione, de prosodia, de significatione, de usu conscriptae sunt, divisa est. „Decem" et „centum" numeri finiti et infiniti esse possunt. „Decimus" etiam substantivi vice, „centesimus" etiam pro multiplicativo ponitur. Numeri dispertitivi „bini", „deni", „centeni", „duceni" et distributive et deminuta vi distributiva pro cardinalibus poni possunt. „Bis" plerumque „duabus vicibus"

---

[5]) Praeter Gramm. Lat. (ed. Keil Lipsiae 1855—1880) cf. Varr. l. L. VIII 30, 55. 35, 63. IX 38, 60. 39, 63—65. 49, 82, 86—88. X 2, 24. 3, 41, 43, 45—46, 49, 66—67. 6, 83; Plin. nat. hist. XXXIII 2, 31; Quint. inst. or. I 5, 15; Gell. noct. Att. I 16, V 4, X 1, XIII 21, 10

[6]) Lipsiae 1900 ss.

[7]) vol. I p. 1863

[8]) II 1992

[9]) II 2006

[10]) III 815

[11]) III 817

[12]) III 819

[13]) III 823

[14]) V 124

[15]) V 167

[16]) V 171

[17]) V 525

[18]) V 2133

[19]) V 2133

[20]) V 2133

[21]) V 2133

[22]) V 2134

[23]) V 2241

[24]) V 2248

[25]) V 2249

[26]) V 2250

[27]) V 2250

[28]) V 2251

[29]) V 2252

significat, sed interdum quoque ad notionem „secundo", „iterum", „altera vice" accedit. „Decies" aeque ac „decem" numerus finitus vel rotundus est. Ita in thesauro linguae Latinae dispositio aut grammatica aut rationalis adhibetur. Quo in opere omnes formas numerales epigraphicas et antiquissimae et optimae et posterioris latinitatis contineri perspicuum est. Etiam omnia nomina appellativa et propria, quae cum numeris composita et ab iis derivata sunt, thesaurus linguae Latinae continet.

Georges[30]) omnes formas numerales sermonis Latini vulgaris inscriptionum, quae usque ad editionem lexici repertae sunt, collegit; praeter volumina priora corporis inscriptionum Latinarum collectionibus quoque epigraphicis utitur, quas Orelli[31]), Henzen[32]), Fabretti[33]) composuerunt. Etiam formae, quae in codicibus occurrunt, in hoc lexico memoratae sunt; quas formas comparationis causa afferemus.

E lexicis etymologicis Indogermanicis tantummodo novissimum memoro, quod Walde[34]) composuit et post mortem eius Pokorny edidit. Formae numerales Latinae ex Indogermanicis derivantur et declarantur. Indogermanos quos vocamus numeros „unus" usque ad „decem", „viginti", „centum" ita enuntiavisse Walde putat: „*oinos"[35]), „*du̯ōu"[36]), „*trei̯es"[37]), „*qu̯etu̯ores"[38]), „*penqu̯e"[39]), „*su̯ek̑s"[40]), „*septm̥"[41]), „*ok̑tōu"[42]), „*neu̯n̥"[43]), „*dék̑m̥t"[44]), „*du̯īdk̑m̥ti"[45]), „*dk̑m̥tóm"[46]). Numerale Latinum „mīlle" non a „*smīghslī"[47]), sed a „*smīli"[48]) derivandum esse Walde existimat. Analogiam iam antiquissimis temporibus viguisse numero „*neu̯n̥" > „novem" videmus, qui secundum „septem", „decem" formatus est. E formis numeralibus latinitatis posterioris tantummodo „octuaginta"[49]) memoratur.

Multis annis ante Walde[50]) lexicon etymologicum Latinum scripsit. Unicuique numero Latino formae originales Indo-

---

30) Lexikon der lateinischen Wortformen, Lipsiae 1890
31) Inscriptionum Latinarum collectio, Turici 1828
32) Inscriptionum Latinarum collectio, Turici 1856
33) Corpus inscriptionum Italicarum antiquioris aevi, Augustae Taurinorum 1867
34) Vergleichendes Wörterbuch der indogermanischen Sprachen, Berlin und Leipzig 1927—1932
35) I 101
36) I 817
37) I 753
38) I 512
39) II 25
40) II 522
41) II 487
42) I 172
43) I 128
44) I 785
45) I 313
46) I 786
47) I 633
48) II 491
49) I 173
50) Lateinisches etymologisches Wörterbuch, Heidelberg edit. I 1906, II 1910, III 1930 ss.

germanicae ceterarumque linguarum, praecipue dialectorum Italiae opponuntur. Formas numerales epigraphicas antiquas Walde raro memorat („oino", „noine"). Huius operis editionem tertiam Johannes Baptista Hofmann curat. Non solum formae epigraphicae, vulgares, Romanenses, derivatae augentur, sed etiam linguae Indogermanicae nuper detectae, veluti Tocharica et Hethitica, comparantur. Praeterea linguae extra familiam Indogermanicam stantes, praecipue Semiticae et Tusca, magis quam antea comparationis causa adhibentur. In fine uniuscuiusque articuli deliberationes, quibus demonstratur, quonam modo radices vocabulorum ortae esse possint, adiciuntur.

Etiam Ernout[51]) et Meillet formas numerales vetustissimae latinitatis afferunt; omnia vocabula a numeris derivata accuratissime declarant. Etiam formae vulgares, a quibus Romanenses profectae sunt, afferuntur, exempli gratia „*dui", „dua", „quattor", „cinque"; quarum plerasque in inscriptionibus quoque invenimus.

Meyer-Lübke[52]) in lexico etymologico Romanensi non modo formas linguarum Romanensium comparationis causa profert, sed etiam dialectorum, interdum quoque numeros Latinos vulgares: „cinque"[53]), „cinquaginta"[54]), „ambi"[55]).

Gamillscheg[56]) in lexico etymologico linguae Francogallicae notat, quo tempore unusquisque numerus Francogallicus primum in codicibus scriptus sit; pleraque numeralia recentia iam in libris manuscriptis saeculi decimi vel duodecimi inveniuntur. Passim formae sive latinitatis optimae sive sermonis vulgaris numeralibus Francogallicis attribuuntur.

E libris grammaticis primum eos eligo, in quibus linguae Indogermanicae inter se comparantur.

Brugmann[57]) in arte grammatica linguarum Indogermanicarum praecipue de numeralibus formandis disserit, item de numeris cum substantivis et adiectivis componendis. Raro formas Latinas epigraphicas memorat, exempli causa „veiginti", „nongentum". Numeralia vulgaria hoc in opere perpauca afferuntur.

Etiam in arte grammatica Indogermanica compendiaria Brugmann[58]) tantummodo de numeris uniuscuiusque linguae formandis loquitur, sed nullas formas sermonis Latini vulgaris memorat.

In libris grammaticis Latinis enumerandis ordinem temporis servo.

---

[51]) Dictionnaire étymologique de la langue Latine, Paris 1932

[52]) Romanisches etymologisches Wörterbuch, Heidelberg 1935

[53]) 6964

[54]) 6963

[55]) 411

[56]) Etymologisches Wörterbuch der französischen Sprache, Heidelberg 1928

[57]) Grundriß der vergleichenden Grammatik der indogermanischen Sprachen, Straßburg 1911 vol. II 2 p. 1—82

[58]) Kurze vergleichende Grammatik der indogermanischen Sprachen, Straßburg 1904 § 440—451 p. 362—373

Ruddimann[59]) numeralia partitur in cardinalia, ordinalia, distributiva, partitiva, multiplicativa, proportionalia, temporalia, ponderalia. Formas epigraphicas non affert.

Reisig[60]) in positiva et interrogativa numeralia dividit, deinde de compositione et declinatione numeralium loquitur. Numeros Latinos a lingua Graeca derivandos esse putat. Etiam hic sermo vulgaris neglegitur.

Schuchardt[61]) in opere de vocalibus latinitatis vulgaris e codicibus medii aevi ingentem materiam contulit, sed inscriptionibus minus usus est. Saepe formas Romanenses cum vulgaribus Latinis comparat. Inter exempla multae formae numerales allatae sunt.

Corssen[62]) omnes regulas grammaticas, quae ad litteras consonantes et vocales pertinent, praeterea ad accentus, diligentissime explicat. Formas numerales aliarum linguarum comparationis causa profert, interdum quoque numeros sermonis Latini vulgaris.

Draeger[63]) in syntaxi numerale „mille" cum genetivo coniunctum commemorat, praeterea de distributivis pro cardinalibus positis loquitur, deinde de adverbiis cum distributivis vel cardinalibus multiplicatis. Formas numerales epigraphicas vulgares non legimus.

Seelmann[64]) scripta grammaticorum veterum adhibens numerorum commutationes scripturis ut ita dicam phoneticis declarat.

Locupletissimam materiae collectionem Neue[65]) nobis offert. Permulti libri manuscripti adhibiti sunt, crebro quoque tituli. Inprimis ordo numeralium compositorum explicatus est.

Lindsay[66]) in grammatica Latina numeros singulos[67]) ita tractat, ut primum formas linguarum Indogermanicarum enumeret, deinde Latinas veteres atque vulgares, tum vocabula a numeris derivata; de accentu quoque numeralium denariorum[68]) nonnulla verba facit.

---

[59]) Institutiones grammaticae Latinae, Edinburgi 1725, ed. II (Stallbaum) Lipsiae 1823 vol. I p. 194—196

[60]) Vorlesungen über lateinische Sprachwissenschaft, Berlin 1881, ed. Haase, vol. I § 115—119 p. 252—261

[61]) Der Vokalismus des Vulgärlateins, Leipzig 1866—1868, I 135, 194, 258, 290 s., 410, 446, 456; II 49 s., 55 s., 72, 92 s., 117, 154, 165, 274, 361, 448, 467, 472, 484 s., 515, 519; III 82, 130, 143, 177, 184, 220, 288, 297, 300, 311

[62]) Über Aussprache, Vokalismus und Betonung der lateinischen Sprache, Leipzig 1868—1870, I 69, 78, 125, 175, 211, 226, 252 s., 332 s., 335, 376, 383, 386—388, 638, 643—646, 702, 708; II 41 s., 63, 70, 72, 130, 184, 223, 235, 274, 317, 351, 362, 421, 455, 483, 523, 547, 552 adn., 574 s., 577 s., 584, 601, 644 adn., 719, 886, 944

[63]) Historische Syntax der lateinischen Sprache, Leipzig 1878—1881 vol. I § 57—60 p. 106—109

[64]) Die Aussprache des Latein, Heilbronn 1885 p. 90 s., 164—166, 183 s., 201, 205, 207, 214, 216, 240 s., 266, 283, 287, 299, 323, 342 s., 345, 350 s., 363 s.

[65]) Neue-Wagener: Formenlehre der lateinischen Sprache, Berlin 1892—1905 vol. II p. 275—345

[66]) Lindsay-Nohl: Die lateinische Sprache, Leipzig 1897

[67]) p. 469—482

[68]) p. 189

Grandgent[69]) in opere de lingua Latina vulgari tribus locis numeralia tractat, in syntaxi[70]), in capite de accentu[71]), in parte de vocabulis formandis[72]). Saepius formas numerales vulgares affert, quae e linguis Romanensibus colligi possunt, sed in inscriptionibus non inveniuntur, exempli causa „*dui", „*trei".

Kühner-Stegmann[73]) multa exempla e libris manuscriptis et inscriptionibus eligit atque formarum ordinem temporalem explicat; etiam aliarum linguarum formas affert. In syntaxi de numero plurali cardinalis „unus" verba facit, praeterea de adverbiis numeralibus cum distributivis compositis deque adverbiis cum cardinalibus.

Sommer[74]) ut numeros Latinos cum ceteris numeralibus Indògermanicis passim comparat, ita formas latinitatis vulgaris notat.

Hofmann[75]) in libro, qui „Lateinische Umgangssprache" inscribitur, numeros raro commemorat: „unus"[76]) articulum indefinitum factum esse demonstrat, „sescenti"[77]) et „mille" pro multitudine innumerabili in usu fuisse declarat.

Novissimam maiorem grammaticam Latinam Leumann[78]) scripsit. Quo in opere pauca exempla praebet, sed eo plures libros grammaticos memorat. Semper formas Indogermanicas numeralibus attribuit, rarius Latinas vulgares. In syntaxi eiusdem grammaticae Hofmann[79]) de vocabulis ad cardinalia firmandi vel rotundandi causa additis ut „ipse", „fere", de distributivis pro cardinalibus positis, de adverbiis numeralibus permutatis, ut „quintum" pro „quinquies", „bis" pro „iterum", „ter" pro „tertio", loquitur.

Libellus, quem Niedermann[80]) de sonis linguae Latinae scripsit, summam doctrinae novissimae grammaticorum continet. Numeri vulgares latinitatis posterioris non memorantur, sed tantummodo nonnulla exempla epigraphica aetatis vetustioris („oinos").

Unam grammaticam linguarum Romanensium commemoro, quam Meyer-Lübke[81]) conscripsit. Quo in opere quattuor locis numeri Romanenses e sermone Latino vulgari orti tractantur. Latinitate posteriore numeros denarios[82]) accentum in prima syllaba tulisse formis Romanensibus correptis mutatisque Meyer-Lübke colligit.

---

69) An introduction to vulgar Latin, Boston, New York, Chicago 1907

70) p. 33—34

71) p. 64

72) p. 159—161

73) Kühner-Stegmann: Ausführliche Grammatik der lateinischen Sprache, Hannover 1912—1914, vol. I § 146—151 p. 629—649

74) Handbuch der lateinischen Laut- und Formenlehre, Heidelberg 1914 § 294—303 p. 464—477

75) Lateinische Umgangssprache, Heidelberg 1926

76) § 97 p. 101—102

77) § 83 p. 90

78) Stolz-Schmalz: Lateinische Grammatik, 5. Auflage von Leumann und Hofmann (Müllers Handbuch der Altertumswissenschaft II 2), München 1928 § 206—208 p. 291—295

79) Syntax und Stilistik § 88 p. 492—493

80) Historische Lautlehre des Lateinischen, Heidelberg 1931 p. 27, 30, 65, 67, 75, 89, 95, 98

81) Grammatik der romanischen Sprachen, Leipzig 1890—1902

82) I § 601 p. 494—495

Formas cardinalium declinatas [83]) iam sermone Latino plebeio minutas esse linguis Romanensibus demonstrat. In parte, quae de numeralibus formandis [84]) conscripta est, sub uno conspectu cardinalia ab „unus" usque ad „sescenti" linguae Latinae, Valachicae, Engadinensis, Italianae, Francogallicae, Hispanae, Lusitanae enumerat. In syntaxi [85]) tantummodo de numeris infinitis loquitur.

Restat, ut de commentariis, quae de numeris Latinis vulgaribus et Romanensibus scripta sunt, nonnulla verba faciam.

Inter viros doctos recentiores Ihm [86]) solus commentariolum de numeris epigraphicis scripsit, qui ad sermonem vulgarem pertinent. Exemplorum collectio imperfecta est, sed comparationis causa linguae Romanenses saepe memorantur, item tabulae litteraeque medii aevi. Ihm praecipue aetatis Christianae numeros vulgares demonstrat et interpretatur.

In commentario, quem Jud [87]) de numeris denariis in linguis Romanensibus conscripsit, numeralia mutata maxime vi accentus et et assimilationis declarantur. Numeri „viginti" formas Latinas vulgares „vinti" et „vigenti" notat, numeri „triginta" formas „trinta", „trigenta", „trienta", „trenta", simili modo ceterorum numeralium denariorum.

§ 4. Antequam ad argumentum ipsum pervenero, de inscriptionum collectionibus, quibus usus sum, breviter referam (cf. p. V—VII).

Praeter Corpus [88]) inscriptionum Latinarum scripta annua epigraphica adhibui, quibus haec nomina sunt: Ephemeris epigraphica [89]), Notizie degli scavi di antichità [90]), L'année épigraphique [91]), Revue archéologique [92]), Jahrbücher des Vereins von Altertumsfreunden im Rheinlande [93]); etiam collectionibus epigraphicis usus sum, quas Huebner [94]), Leblant [95]), Dessau [96]), Buecheler [97]), Cagnat [98]), Vollmer [99]),

---

83) II § 68—72 p. 87—89

84) II § 559—562 p. 590—594

85) III § 49—53 p. 62—68

86) Vulgärformen lateinischer Zahlwörter auf Inschriften, ALL VII p. 65—72

87) Die Zehnerzahlen in den romanischen Sprachen, Festschrift für Heinrich Morf, Aus romanischen Sprachen und Literaturen, Halle a. S. 1905, p. 233—270

88) Berolini 1863 ss.; hoc ordine utor: I Inscriptiones Latinae antiquissimae, VI Roma, XV Instrumentum domesticum urbis Romae, XIV Latium vetus, IX Calabria Apulia Samnium Sabini Picenum, X Bruttii Lucania Campania Sicilia Sardinia, IV Inscriptiones parietariae Pompeianae, XI Aemilia Etruria Umbria, V Gallia cisalpina, VIII Africa, II Hispania, XII Gallia Narbonensis, XIII Aquitania Lugdunensis Belgica Germania, VII Britannia, III Aegyptus Asia Graecia Illyricum Dacia

89) Berolini 1872 ss.

90) Romae 1876 ss.

91) Paris 1888 ss.

92) Paris 1844 ss.

93) Bonner Jahrbücher, Bonn 1842 ss.

94) Inscriptiones Hispaniae christianae, Berolini 1871, Supplementum 1900; Inscriptiones Britanniae christianae, Berolini et Londinii 1876

95) Nouveau recueil des inscriptions chrétiennes de la Gaule antérieures au VIIIe siècle, Paris 1892

96) Inscriptiones Latinae selectae, Berolini 1892—1916 (DE)

Diehl [100]), Espérandieu [101]), Gsell [102]) composuerunt.

Quas collectiones adhibens primum cardinalia, ordinalia, distributiva, adverbia numeralia tractabo, deinde nonnullas quaestiones de vocabulis a numeris derivatis addam. Nomina appellativa et propria, quae a numeralibus derivata vel cum numeris composita sunt, afferam; in quibus plerumque easdem leges grammaticas observatas invenimus atque in numeris ipsis. In adnotationibus numeris I—XV semper volumina Corporis inscriptionum Latinarum indicantur aliis notis non anteeuntibus.

§ 5. Numeralia multis viribus grammaticis mutari possunt, quarum gravissimas affero:

Analogia: Quid est analogia? Sententias nonnullas virorum veterum et recentium doctorum commemoro.

Cicero [103]) in „Timaeo" dicit: „Quae Graece ἀναλογία, Latine comparatio proportiove dici potest."

Varro [104]), qui in octavo, nono, decimo libro operis „De lingua Latina" analogiam tractat, hanc definitionem praebet: „Analogia est verborum similium declinatio similis non repugnante consuetudine communi".

Probus [105]) in „Institutis artium" in capite de arte docet: „Analogia est ratio recta perseverans per integram declinationis disciplinam."

Terentius Scaurus [106]) in libro „De orthographia" iudicat: „Proportio Graece ἀναλογία dicitur."

Gellius [107]) in libro „Noctes Atticae" Varronem sequitur: 'Αναλογία est similium similis declinatio, quam quidam Latine proportionem vocant".

Charisius [108]) in „Artis grammaticae" libro primo in capite septimo decimo, quod de analogia conscriptum est, loquitur: „Analogia est, ut Graecis placet, συμπλοκὴ λόγων ἀκολούθων, eaque generalis est . . . huic Aristophanes quinque rationes dedit, vel ut alii putant, sex; primo ut eiusdem sint generis de quibus quaeritur, dein casus, tum exitus, quarto numeri syllabarum, item soni. sextum Aristarchus, discipulus eius, illud addidit, ne umquam simplicia compositis aptemus."

Simili modo Donatianus [109]) notionem analogiae definit: „ἀναλογία ἐστὶν συμπλοκὴ λόγων ἀκολούθων ἐν κλίσεσι μερῶν λέξεως", id est conexus orationum consequentium in declinationibus partium orationis.

---

97) Carmina Latina epigraphica, Lipsiae 1895/97, Suppl. ed. Lommatzsch 1926 (CE)

98) Cours d'épigraphie latine, Paris 1914

99) Inscriptiones Baiuariae Romanae, Monaci 1915

100) Inscriptiones Latinae christianae veteres, Berolini 1925—1931

101) Inscriptions latines de la Gaule Narbonnaise, Paris 1929 ss.

102) Inscriptions latines de l'Algérie, Paris 1922

103) Timaei cap. 4 (Steph. p. 17)

104) De lingua Latina X 4, 74

105) Gramm. Lat. IV 47, 23

106) Gramm. Lat. VII 12, 7

107) Noct. Attic. II 25

108) Gramm. Lat. I 116, 30 = Barwick 149, 22

109) Gramm. Lat. VI 276, 3

in analogia Aristophanes quinque observationes tradit, per quas possunt inveniri similia, ut eiusdem sint generis, casus, exitus, numeri syllabarum, soni. Aristarchus, auditor eius, adicit differentiam, id est ne simplicia cum compositis comparemus."

Charisius [110]) in „Artis grammaticae" libro primo in capite quinto decimo, quod de extremitatibus et diversis quaestionibus conscriptum est, et Diomedes [111]) in libro secundo „Artis grammaticae" in capite de latinitate verbis congruunt: „Analogia sermonis a natura proditi ordinatio est."

De usu analogiae Diomedes [112]) in libro primo „Artis grammaticae" in capite de coniugationibus verborum dicit: „Analogia apud nos, id est proportio, . . . tam in verbis quam in nominibus observatur."

Idem grammaticus [113]) de ordinatione analogiae in libro secundo „Artis grammaticae" in capite de virtutibus orationis docet: „Virtutes orationis generales sunt duae, proprietas et ornatus. proprietatis est species regula sermonis, quam Graeci analogian vocant, quidam ex nostris proportionem."

Servius [114]) in „Commentario in artem Donati" in capite de nomine sic iudicat: „Analogia dicitur ratio declinationis nominum inter se omni parte similium; Latine proportio vocatur."

Cledonius [115]) in „Arte grammatica" secunda in capite de nomine loquitur: „Analogia est similium similis declinatio".

Aeque ac plerique grammatici anteeuntes Pompeius [116]) et Consentius [117]) analogiam proportionem appellant.

Praeterea Consentius [118]) loquitur: „Nunc quem ad modum nos dirigere analogia possit, breviter ostendam. siquando aliquid constroversiae accidit, quod nos in diversum aliqua ratione trahere conetur, analogiam primo requiremus, ex qua quae portio eligenda sit, per euphoniam iudicabimus . . . hic nunc iudicet euphonia, quae voces aptiores, quae decentiores sint . . . quodsi illae decentiores sunt, certante inter se analogia variis exemplis id quod pulchrius est eligit euphonia.""

Etiam Martianus Capella [119]) nonnulla verba de analogia facit: „Analogia est, quae Latine proportio dicitur, observatio similium inter se loquelarum."

E testimoniis virorum doctorum recentium [120]) pauca eligo. Reisig [121]) viam grammaticam ad consuetudinem sermonis inveniendam analogiam esse affirmat, ἀνὰ τὸν αὐτὸν λόγον [122]) agendum esse praescribit.

---

110) Gramm. Lat. I 51, 3 = Barwick 62, 20
111) Gramm. Lat. I 439, 20
112) Gramm. Lat. I 384, 15
113) Gramm. Lat. I 456, 4
114) Gramm. Lat. IV 435, 15
115) Gramm. Lat. V 47, 13
116) Gramm. Lat. V 197, 21
117) Gramm. Lat. V 353, 19
118) Gramm. Lat. V 363, 24
119) III 290
120) cf. Paul: Prinzipien der Sprachgeschichte ed. IV, Halle 1909, cap. V, XII
121) I § 2, 12 p. 5
122) I § 18 p. 16

Seelmann[123]) etymologiae, analogiae, modo transscriptionis Graecae magnum pretium non constituit, tamen alio loco[124]) analogiae vim inesse concedit.

Hofmann[125]) analogiae vocabula synonyma enumerat: natura, ratio, aequalitas, proportio; contrarium anomalia sive usus, consuetudo, inaequalitas est. Formae[126]) analogia ortae e verborum significatione simili initium capiunt; multae latinitatis vulgaris[127]) formae novae analogia et compensatione ortae sunt.

Brugmann[128]) analogiam in cardinalibus denariis, Corssen[129]) in numeralibus distributivis tractat.

Diehl[130]) in dissertatione „De M finali epigraphica" in capite tertio, quod de M finali qualibet de causa omissa vel adiecta conscriptum est, dicit: „Id solum demonstrare volui, „septe" „nove" „dece" cardinalia formata esse secundum „quinque", veluti „undeci" sim. et „sedece" sim. ad analogiam „septe" „nove" „dece", veluti „quinquem" et „quinqui" ad „decem" et „undeci"." Sed „quinqui" etiam secundum „viginti" formatum esse potest.

Eam rem, quam Jud[131]) associationem et assimilationem[132]) progressivam atque regressivam vocat, potius analogiam procedentem atque retroversam appellare velim. Analogia procedens igitur formatio numeralis maioris secundum minus est, exempli causa „dece" ad „quinque", analogia retroversa formatio numeri minoris secundum maiorem, exempli gratia „quinquem" ad „decem". Tertiam speciem analogiae in alia numeralium genera transeuntis prioribus attribuo, quam analogiam modalem sive specialem appello, exempli causa cardinalia „septim", „decim" non solum analogia retroversa secundum „undecim" sim. formata esse possunt, sed etiam analogia speciali secundum ordinalia „septimus", „decimus". Exemplis, quae supra scripta sunt, has formas addo: „tris" et „tricenti" secundum „triginta", cardinale „nongentum" non declinatum secundum „centum" formatum est. Similiter forma Latina epigraphica „Octimbris"[133]) (cf. prov. „octembre", vet. franc. „uitembre") secundum „Septembris", „Novembris" „Decembris" explicanda est.

In aliis quoque linguis analogiam vigere manifestum est. Secundum ἕξ, ἑπτά etiam ὀκτώ, ἐνενήκοντα spiritum asperum acceperunt, quae formae in tabulis Heracleensibus[134]) occurrunt. Numerus ordinalis ἕβδομος[135]) dicendi legibus respondet, cum ea forma ita orta sit: *septmos > * ἕπτμος > * ἕβδμος > ἕβδομος; sed consonantes mediae

[123]) p. 12
[124]) p. 47 (in capite de accentibus)
[125]) Stolz-Schmalz[5] § 1 p. 3
[126]) § 166 b p. 194, cf. § 181 C p. 259
[127]) § 14 p. 17
[128]) KGr § 443 p. 366
[129]) I p. 645
[130]) p. 191
[131]) p. 237
[132]) p. 270, cf. p. 266
[133]) Di III p. 298
[134]) Meyer: Griechische Grammatik § 404—405 p. 502
[135]) l. c. § 403 p. 502

numeri ὄγδοος[136]) ad analogiam numeralis ἕβδομος natae sunt. Analogia retroversa secundum ordinalia δέκατος, ἔνατος formae epicae ὀγδόατος ἑβδόματος, δεύτατος[137]) figuratae sunt. Lexicon Hesychii glossam continet „δυνδεκάτῃ · ἡμέρᾳ δωδεκάτῃ": δυνδεκάτη numerali praecedente ἑνδεκάτη effecta est.

Exitus ordinarius „-esimus", quem ordinalia inde a „vicesimus" habent, in lingua Francogallica etiam in numeros minores invadit; ideo nunc „deuxième", „troisième", „quatrième", „cinquième" sim. pro vetustioribus „segond", „tiers", „quart", „quint" sim. numeratur. Quin etiam „unième" inde a saeculo tertio decimo, ut Gamillscheg dicit, in ordinalibus compositis in usu est.

Concentus causa numeri Germanici „ein", „zween"[138]) „zwō"[139]) „drī"[140]) in „eins", „zwei", „drei" commutati sunt. Simili modo analogia in numeralia, quae „undecim", „duodecim" significant, inducta est; in lingua Gothorum „ainlif", „tvalif" appellantur, in lingua Germanica medii aevi „einlif", „zwelif", postea „eilf", „zwelf", hodie „elf", „zwölf", sed in numerando saepe „ölf", „zwölf" pronuntiatur. Ita analogiam non modo in numeris Latinis, sed etiam in aliarum linguarum numeralibus magni momenti videmus esse.

Assimilatio vocalium: Vocalium assimilationis exemplum „camara" pro „camera" optimae latinitatis Charisius[141]) affert in libro primo „Institutionis grammaticae" in capite quinto decimo, quod de extremitatibus nominum et diversis quaestionibus conscriptum est; sed ea forma etiam recompositione vocabuli Graeci καμάρα declarari potest.

Probus[142]) in „Appendice" complura exempla assimilationis vocalium vulgaris notat: „purpureticum", „toloneum", „tonotru", „passar", „ansar", „parantalia", „butumen".

Primus assimilationem vocalium Dietrich[143]) diligenter tractavit in commentario „De vocalium quibusdam in lingua Latina affectionibus".

Multis locis Schuchardt[144]) de vocalibus inter se adaequatis loquitur.

Corssen[145]), qui paginis quinquaquinta quinque assimilationem vocalium tractat, adaequationem inter se contingentium et vicinarum vocalium, quo posterior aetas linguae sit, eo magis increscere initio[146]) affirmat.

---

136) l. c. § 404 p. 502
137) Hom. γ 306, H 248, T 51
138) gen. masc.
139) gen. fem.
140) gen. neutr.
141) Gramm. Lat. I 58, 23 = Barwick 73, 9
142) Gramm. Lat. IV 197, 19, 20; 198, 33; 199, 4, 7
143) Progr. Hirschberg 1855
144) I 204 s.; 223 s.; II 68, 100, 162 s., 196, 273, 301 s., 510; III 39 s., 105, 111, 186, 190, 219, 228, 230 s., 236
145) II 335—390
146) p. 335

Lindsay[147]) assimilationis exempla e lingua quoque Italiana eligit: „aequalis“ > „uguale“, „chronica“ > „cronaca“.

Brugmann[148]) vocales notat, quae aliqua ex parte quaeque omnino inter se assimilatae sunt.

Grandgent[149]) duo tantummodo exempla vulgaria affert: „gigantem“ > „*jagante“, „silvaticus“ > „salvaticus“.

Kühner-Stegmann[150]) et latinitatis optimae et sermonis vulgaris exempla praebet.

Sommer[151]) vocales assimilatas partitur in accentum ferentes et accentum non ferentes.

Leumann[152]) praeter adaequationem vocalium inter se distantium etiam assimilationem vocalium inter se contingentium sive contractionem[153]) memorat.

Kieckers[154]) uniuscuiusque vocalis assimilationis exempla enumerat, exempli causa „segetis“, „tonotru“, „fulgura“.

Omnes viri docti recentiores, qui de vocalibus inter se assimilatis egerunt, assimilationem vocalium in progressivam et regressivam sive, ut Leumann vult, praegressivam dividunt. In assimilatione progressiva syllaba prior posteriorem suo sono afficit, in assimilatione regressiva sive praegressiva syllaba sequens praecedentem, veluti „calamitas“ pro „*kadimitāts“ (progr.), „homo“ pro „*hemōn“ (regr.).

Assimilationis vocalium progressivae has formas numerales in titulis legimus: „terteo“, „septema“, „decemo“; sed „septema“ et „decemo“ ordinalia etiam ad analogiam cardinalium „septem“ et „decem“ formata esse possunt. Regressiva sive praegressiva vocalium assimilatio in his formis occurrit: „simis“, „tirtia“, „siptimu“. Assimilationem vocalium inter se contingentium sive contractionem in his numeralibus observamus: „dodece“, „dodecimu“, dudecema“, „vinti“, „quarranta“, „cinquanta“, „nonanta“.

D i s s i m i l a t i o v o c a l i u m: Multo rarius quam assimilatio dissimilatio vocalium occurrit.

Probus[155]) in „Appendice“ has formas notat: „vepris, „senis“, „demidius“.

Exemplum dissimilationis, cuius loco contractio quoque vocalium apparere potest, Dietrich[156]) in libro, de quo supra scripsi, memorat: „Etiam hoc notandum videtur, ne „o“ vocalem quidem bis positam, ut binae vocales essent, veteribus videri placuisse. Quod ex scriptura verbi cooptandi colligendum puto; nam „coaptato“[157]) et „coptato“[158]) legun-

---

147) p. 232
148) KGr § 19, 5 p. 39
149) § 229, 3 p. 97
150) I § 16 p. 119—120
151) § 78—82 p. 112—118
152) § 79—80 p. 95—96
153) § 96 p. 107—108
154) Historische lateinische Grammatik, München 1930—1931 I § 44 p. 63—65
155) Gramm. Lat. IV 198, 16, 17, 28
156) p. 16
157) Lex Iul. munic. CIL I¹ 206, 86 = I² 593, 86
158) l. c. 106

tur. Quod num etiam in aliis vocibus olim ita observatum fuerit, ut geminae „o“ vocales aut in unam coirent aut altera sono mutaretur, nunc quidem nescio.“

Nonnulla exempla dissimilationis vocalium inter se contingentium Schuchardt [159]) affert.

Corssen [160]) appetitionem vocales dissimilandi inprimis latinitati vetustiori attribuit.

Lindsay [161]) unum exemplum vulgare „vecinus“ profert, Grandgent [162]) formas „*devidere“, „devinus“, „fenire“, Kühner-Stegmann [163]) figuras antiquiores „equos“, „societas“.

Brugmann [164]) dissimilationem vocalium tractat, prout vocales dissimiles factae sunt aut assimilatio prohibita est, prout vocales inter se contingentes aut distantes dissimilatae sunt, prout dissimilatio regressiva aut progressiva est.

Vocalium dissimilatione vocabula abstracta „pietas“, „varietas“ e „*piitas“, „*variitas“ orta sunt (cf. „novitas“). Similiter in senatus consulto de Baccanalibus „adiese“ pro „adiisse“ scriptum videtur esse.

Dissimilationis progressivae haec exempla epigraphica numeralium et nominum ab iis derivatorum inveni: „decim“, „Octubres“; sed „decim“ etiam ad analogiam cardinalium „undecim“ sim. vel ordinalium „decimus“ sim. formatum esse potest. Regressiva sive praegressiva dissimilatio subest in „Uctobres“, dissimilatio vocalium inter se contingentium in „trienta“.

A n a p t y x i s v o c a l i u m: Litteras vocales novas praecipue ante sonos liquidos oriri inter omnes constat. Exemplum notissimum anaptyxis vocalium vetustae syllaba suffixa „-tlo-“ est instrumentum significans, quae in „-culu-“ mutatur. Ita „*potlom“ > „poculum“ instrumentum potandi est. Formas vocali recenti carentes sermone Latino vulgari diu conservatas esse „Appendice“ Probi [165]) videmus, qui „speculum“, „masculus“, „vetulus“, „vitulus“, „vernaculus“, „articulus“, „baculus“, „angulus“, „iugulus“ pro „speclum“ sim. praescribit.

Schuchardt [166] permulta exempla anaptyxis vocalium e litteris tabulisque medii aevi prioris collegit.

Corssen [167]) inprimis formas latinitatis vetustioris „Hercolei“, „Tecumessa“, „mina“ sim. tractat.

Seelmann [168]) complura exempla epigraphica anaptyxis praebet.

Lindsay [169]) quattuor locis grammaticae de vocalibus novis ante sonos liquidos agit.

---

159) I 185, 468; II 46, 60, 83. 88, 179, 328; III 97 s., 193
160) II 390—396
161) p. 233
162) § 229, 4 p. 97
163) § 17 p. 121—122
164) KGr § 19, 6 p. 39—41
165) Gramm. Lat. IV 197, 20
166) II 394—433
167) II 77, 131, 140, 263, 384—390
168) p. 251
169) p. 107—108, 167—171, 222, 228

Brugmann[170]) e formis sermonis Latini optimi „poculum“, „periculum“, „stabilis“ eligit, e figuris latinitatis vulgaris „Terebonio“, „matiribus“.

Tituli vulgares, quos Slotty[171]) collegit, formas „frateres“, „omines“, „reipubulice“ continent.

Kühner-Stegmann[172]) aeque ac Corssen vocales iam pridem insertas tractat, veluti „mina“, „Hercules“, „Aesculapius“; homines Latini consonantes coniunctas Graecas enuntiare non potuerunt.

Sommer[173]) primum vocales novas ante „l“ ortas, deinde ante „n“, tum ante „r“ formasque vulgares memorat.

Leumann[174]) formas aevo litterarum Romanarum antecedentes veluti „saeculum“, deinde latinitatis vetustioris sive optimae veluti „drachuma“, postremo sermonis Latini posterioris veluti „Hadiriani“ enumerat.

Kieckers[175]) exempla vulgaria „terans“, „tarans“, „digina“ affert.

In inscriptionibus has formas numerales inveni: „e“ ante „r“: „perima“, „Quaderatus“; „e“ ante „t“: „Sepetumienus“, „Ocetavi“; „i“ ante „t“: „sεpitε“, „Quinita“.

Assimilatio consonantium: Adaequatio consonantium inter se contingentium multo saepius occurrit quam distantium. In „Appendice“ Probi[176]) unum exemplum legimus „pessica“ pro „persica“.

Ruddimann[177]) in capite de verbis compositis dicit: „Ultima praepositionis consonans in primam verbi simplicis frequentissime convertitur“, cuius mutationis multa exempla affert.

Reisig[178]) consonantes Latinas propterea inter se adaequatas esse demonstrat, quod pronuntiationem loquentium exprimere ratio linguae scripturaeque Latinae fuerit.

Corssen[179]), Lindsay[180]), Brugmann[181]), Grandgent[182]), Kühner-Stegmann[183]), Sommer[184]), Leumann[185]), Kieckers[186]), Niedermann[187]) locupletissimas materiae collectiones praebent. Quorum plerique assimilationem consonantium inter se contingentium et distantium, praeterea assimilationem progressivam et regressivam discernunt.

In inscriptionibus hoc exemplum numeralium assimilationis consonantium vicinarum progressivae inveni: „Occob.“ Assimilatio conso-

---

170) KGr § 313, 2 p. 220 s.
171) Vulgärlateinisches Übungsbuch 53—58, 60
172) I § 10 p. 63, 66, 70
173) § 87 p. 138—141
174) § 81 p. 97 s.
175) § 49 p. 73 s.
176) Gramm. Lat. IV 198, 29
177) I p. 296
178) I § 168 p. 417—420
179) I 123, 179, 208—210, 222, 225, 242 s., 265, 283
180) p. 355—358
181) § 319—321 p. 225—230, § 332—333 p. 238 s.
182) § 255, 264 s., 267, 269, 282, 293, 307, 310, 315
183) I § 39 p. 196 s.
184) § 152 p. 267—269
185) § 12 p. 15, § 133 p. 144, § 158 p. 177 s.
186) § 99 p. 161
187) p. 76—90

nantium inter se contingentium regressiva subest in formis „oto", „deceotto", „Ottobres", „trigitta", „quarranta", „quaraginta", „qaragita". Consonantium inter se distantium assimilationem progressivam legimus in „ses", „sesto", „sesta", cum in „xex", „xextas" littera „x" altera utra loco „s" scripta sit.

Dissimilatio consonantium: Consonantes inter se distantes saepius dissimiles fiunt quam vicinae. Probus [188]) in „Appendice" „cuntellunt" pro „cultellum", „fragellum" pro „flagellum", „telebra" pro „terebra", „meneris" pro „meretrix" affert; dissimilationis consonantium vicinarum tantummodo „superlex" [189]) pro „supellex" exemplum recompositione ortum praebet.

Lindsay [190]), Brugmann [191]), Grandgent [192]), Kühner-Stegmann [193]), Sommer [194]), Leumann [195]), Kieckers [196]) formas latinitatis posterioris notant, veluti „pelegrinus".

Haec exempla epigraphica numeralia inveni: „cinque", „ceqe", „cinquaginta", „cinqaginta", „cinquacinta", „ciquacinta", „ciquaginta", „cinquanta".

Dissimilatio consonantium inter se contingentium in numeralibus non occurrit.

Metathesis consonantium: Consonantes interdum in alium verbi locum transponi posse apud grammaticos veteres nonnulla testimonia exstant. Probus [197]) in „Appendice" praescribit „glari non cracli".

Marius Plotius Sacerdos [198]) in libro primo „Artis grammaticae" in capite de metaplasmis dicit: „Metathesis est, cum isdem litteris in verbo manentibus fit transmutatio litterarum, ac si dicas „leriquias" pro „reliquias"."

Diomedes [199]) in libro secundo „Artis grammaticae" in capite de barbarismo sic iudicat: „Barbarismus fit transmutatione, cum in eadem dictione commutatis inter se litteris utamur, ut „leriquias" si per „l" litteram pronuntiemus, cum debeat per „r" prima syllaba dici, „reliquiae"; item „lerigionem" similiter pro „religione" mutatis „r" et „l" litteris; eodem modo „tanpister" pro „tantisper"."

Consentius [200]) in „Arte de nomine et verbo, de barbarismis et metaplasmis" et Iulianus [201]) in „Commentario in Donatum" formam „displicina" pro „disciplina" notant, Consentius etiam „lapidicina" pro „lapicidina".

---

188) Gramm. Lat. IV 197, 24; 198, 9, 21, 28
189) Gramm. Lat. IV 198, 14
190) p. 109
191) § 334 p. 239—241
192) § 254, 289, 292, 303
193) § 39 p. 197
194) § 121 p. 211—213
195) § 158 p. 177—179
196) § 100 p. 161—163
197) Gramm. Lat. IV 199, 12
198) Gramm. Lat. VI 452, 13
199) Gramm. Lat. I 452, 31
200) Gramm. Lat. V 392, 25; 391, 22
201) Gramm. Lat. V 324, 19

Ruddimann [202]) in „Institutionibus grammaticae Latinae" haec docet: „Metathesis est litterae vel syllabae transpositio, ut „pistris" pro „pristis"."

Lindsay [203]) „clustrum" pro „crustlum" affert, Brugmann [204]) „corcodilus" pro „crocodilus", Grandgent [205]) „ascella" pro „axilla", Kühner [206]), Sommer [207]), Leumann [208]), Kieckers [209]) alia exempla.

Anticipatio consonantium: Soni liquidi et nasales nonnumquam iam antea efferuntur et loco recto repetuntur. Schuchardt [210]) exempla e libris manuscriptis collegit: „cendentes", „frenquens", „congnatae", „vinginti", „semptem".

Sommer [211]) has formas epigraphicas affert: „Artermisius", „lanctantis" „singnifer"; „Artermisius" repetitio progressiva est.

Alia exempla repetitionis progressivae Leumann [212]) praebet: „Euphratre", „Perpertua".

Mensis Februarii has formas in inscriptionibus christianis legimus: „Frebraras", „Ferbraras" (Di III p. 293).

In numeralibus epigraphicis tantummodo exempla repetitionis regressivae sive anticipationis consonantium inveni: „quartuor", „Octrobres" „Semptumiae", „sempptemvir"; forma „quartuor" etiam vi ordinalis orta esse potest.

Recompositio: Vocalis radicis verbi vel substantivi compositi vi etymologiae ad analogiam formae simplicis interdum restituitur. Velius Longus [213]) in libro „De orthographia" exemplum confert: „Quamvis „commendo" dicamus, tamen „commando" in consuetudine est." Alio loco [214]) dicit: „ „Comprimo" per „i" malo scribi, quamvis „compressus" dicatur."

Lindsay [215]) formam „consacravi" e Monumento Ancyrano affert.

Grandgent [216]) recompositiones vulgares praebet „reddedit", „retenere".

Alia exempla Kühner [217]), Sommer [218]), Leumann [219]) enumerant, item Battré in dissertatione Ienensi a. 1909 „De recompositionis in verbis Latinis adhibitae usu et notione".

---

202) I 328
203) p. 111 s.
204) § 19 p. 39; § 340 ss. p. 245 ss.
205) § 255, 289, 294
206) I § 45 p. 221 s.
207) § 122 p. 213 s.
208) § 158 p. 179
209) § 101 p. 163
210) I 113 s.
211) § 123 p. 215
212) § 158 p. 179
213) Gramm. Lat. VII 73, 10
214) Gramm. Lat. VII 76, 9
215) p. 230 s.
216) § 31, 139
217) I § 9 p. 55
218) § 151 p. 260—267
219) § 63 p. 81, § 166 p. 193

In titulis hae formae numerales recompositae occurrunt: „demedium“, „demediam“. Radicis vocalis restituta, praepositionis vocalis assimilata est.

Vis accentus: Post Varronem [220]), Nigidium Figulum [221]), Quintilianum [222]), Gellium [223]), Censorinum [224]) omnes fere grammatici [225]), quorum libros Keil edidit, de accentibus Latinis scripserunt; Consentius [226]) in „Arte de nomine et verbo, de barbarismis et metaplasmis“ de cardinalis quoque „triginta“ accentu verba fecit: „Barbarismus fit accentus, ut siquis dicens „triginta“ priorem syllabam acuat et sequentem graviter enuntiet, qui modus et per immutationem fieri videtur“.

Inter viros doctos recentiores Reisig [227]), Schuchardt [228]), Corssen [229]), Seelmann [230]), Meyer-Lübke [231]), Lindsay [232]), Brugmann [233]), Iud [234]), Grandgent [235]), Kühner [236]), Sommer [237]), Leumann [238]), Kieckers [239]), Niedermann [240]) accentus Latinos in libris grammaticis tractant.

Numeri epigraphici „vinti“, „quarranta“, „cinquanta“, „nonanta“ vi accentus orti sunt. Contra sententiam priorum Jud [241]) accentum „vigínti“ sim. postulat. Haud scio an vocalis prima nominis „Dcumius“ accentu exstincta sit.

Leges Indogermanicae: Sonos linguae Indogermanicae Walde [242]) in praefatione lexici etymologici Latini explicat, praeterea Brugmann [243]), Kühner [244]), Leumann [245]), Kieckers [246]) in libris grammaticis.

In inscriptionibus vetustissimis „oinos“ forma numerali Indogermanico aequalis occurrit. Exitus genetivi pluralis „-ōm“ iam pristinis temporibus in dualem translatus est, „*duom“ > „duum“ in titulis

---

[220]) in libris „De sermone Latino“ (cf. Funaioli p. 199—205)
[221]) in „Commentariis grammaticis“ (cf. Funaioli p. 161—175)
[222]) Institut. orat. I 5, 22—31
[223]) Noct. Att. XIII 26
[224]) De accentibus (cf. Cassiod. de mus. p. 576)
[225]) cf. Diom. Gramm. Lat. I 430—436
[226]) Gramm. Lat. V 392, 4
[227]) I § 162 s. p. 403—407
[228]) I 427; II 214 s., 250, 252, 327, 373, 384, 399—433, 437, 443—445, 469 s., 475, 511, 513, 516; III 235, 290 s., 310
[229]) II 794—947
[230]) p. 15—64
[231]) I § 601 p. 494 s.
[232]) p. 189
[233]) KGr § 38—65 p. 52—66
[234]) Festschrift für Morf p. 233—270
[235]) § 134—158 p. 61—68
[236]) I § 49 ss. p. 237—249
[237]) § 68—77 p. 83—111
[238]) § 163 p. 189
[239]) I § 5 p. 16—20
[240]) § 8 p. 13 s.
[241]) p. 246—250
[242]) ed. I p. XXII—XL; in ed. II desunt
[243]) § 37 p. 51 s.
[244]) I § 9 p. 54
[245]) § 17 s. p. 55 s.
[246]) I § 7 p. 22 s.

legimus; forma antiquissima Latina in vocabulo derivato „duomvir" conservata est „o" vocali correpta.

Vis linguae Graecae: Linguam Graecam sermoni Latino magni momenti esse omnes grammatici Latini concedunt. Diomedes [247]) de elocutione vocabulorum Graecorum dicit in „Artis grammaticae" libro secundo: „Sane Graeca verba Graecis accentibus efferimus, si isdem litteris pronuntiaverimus".

Corssen [248]) quattuor aetates notat, quibus vocabula Graeca in linguam Latinam invaserunt: aetatem Tarquiniorum, tempus certaminis cum Pyrrho et Carthaginiensibus, saeculum Accii Varronisque, aetatem Augusti.

Praeterea Ruddimann [249]), Schuchardt [250]), Grandgent [251]), Leumann [252], Niedermann [253]) de vi linguae Graecae verba fecerunt.

Huic capiti formas numerales epigraphicas „dyo", „Cointo" attribuo.

Vis linguae Celticae: Vocabula scripturaeque linguae Celticae multo minus quam Graecae in sermonem Latinum invaserunt, qua de re Schauchardt [254]), Lindsay [255]), Grandgent [256]), Leumann [257]) scripserunt.

In titulis numeralia aspiratis affecta „hocto", „Ohtuberes" notanda sunt.

Errores lapicidarum: Saepius mendo quadratarii litterae aut adiciuntur aut omittuntur aut litterae falsae inciduntur; adiectio syllabarum vicinis aequalium vel similium dittographia appellatur, veluti „treres", „dececem", „quinquagigenta". Littera omissa est in forma „tes". Linea obliqua ad consonantem „P" errore adiecta forma „sertem" orta est. Lapicida una littera in ordine litterarum peccavit in forma „ruinrue" pro „quinque", item in „puatuor" pro „quatuor" [258]). Cave, ne numeralia betacismo affecta, veluti „nobe", „biginti", numerosque, quorum litterae nasales infirmitate omissae sunt, veluti „centu", pro erroribus quadratariorum habeas.

---

[247]) Gramm. Lat. I 433, 4
[248]) II 813—817
[249]) II 389—391
[250]) I 90, III 40
[251]) § 19, 327—339
[252]) § 4 p. 42 s.
[253]) § 7 p. 12
[254]) I 87 s., III 38
[255]) p. 30
[256]) § 19 p. 12
[257]) § 164 p. 191
[258]) Di 3856 Romae

B. Conspectus numeralium

1. De nominibus numeralibus propriis

a. De numeris cardinalibus

Primum de formis grammaticis numerorum cardinalium verba facio. Nomina numeralia et pronuntiatione et analogiis in varios modos mutata sunt; optime ad ea tractanda ita progrediemur, ut singulos deinceps numeros perlustremus.

De numerali „unus“

A. De orthographia

ú n u s: Vocalem syllabae prioris productam esse apice superposito notaverunt lapicidae: ú n a m [1]), ú n a [2]).

u o: Formam u o [3]) pro „uno“ in titulo Galliae cisalpinae legimus, sed eadem in inscriptione „uno“ cum „n“ ter occurrit.

B. De sonis et litteris

o i n o s: Antiquissima forma est „oinos“ [4]), quae occurrit in titulo saeculi a. Chr. n. tertii (o i n o [4]) = „unum“); adde adverbium o i n ā [5]) in lege agraria, o i n v o r s e i [6]) = „universi“ in Senat. cons. de Baccanal.; sed O i n u m a m a [7]) aliorsum spectat.

o e n u s: Dipthongus „oi“ antequam in „ū“ vocalem mutaretur, in „oe“ transiit: o e n o [8]) (cf. Plaut. Truc. 104, Cic. de legg. 3, 9, Lucr. 3, 199; 4, 712 n o e n u (m) = „non“).

C. De declinatione

u n i: Casus genetivus ad analogiam adiectivorum formari potest: „anni u n i“ [9]) = quotannis“ (cf. Catull. 17, 17 „nec pili facit u n i“). Priscianus [10]) dicit: „ u n i pro ‚unius‘ Titinius in barbato:

„quod quidem pol mulier dicet,
Namque u n i collegi sumus.‘ “

u n o: Etiam casus dativus modo adiectivorum formatur: „mihi u n o [11]) marito“.

u n a: Numerum pluralem nominis „unus“ legimus in versu „hi duo conventi u n a fata secuti uno lectui compositi una favilla iacent“ (IX 5140 = CE 2167, 1 Bellante, periit).

D. De syntaxi

u n o . . . u o: In titulo [12]) Galliae cisalpinae legimus: „Porcella . . . cum filis suis duo, u n o anoro VII, u o anoro III.“ Numeralia disiuncta „uno . . . uo“ pro „altero . . . altero“ posita sunt.

---

[1]) VI 28877 Romae
[2] XIV 2553 in agro Tusculano
[3]) V 5215 Olate prope Lecco ad lacum Larium
[4]) VI 1287 = I² 9 Romae, a. 258 a. Chr.
[5]) I² 585,21 Romae, a. 111 a. Chr.
[6]) X 104 = I² 581, 19 in agro Teurano, a. 186 a. Chr.
[7]) XIV 4107 = I² 566 Praeneste
[8]) VI 25861 Romae
[9]) DE 9420 Feltriae, a. 323 („usura anni uni centensima u[n]a“)
[10]) Gramm. Lat. II 227, 5
[11]) III 14292 Salonis
[12]) V 5215 Olate prope Lecco ad lacum Larium

E. De re metrica

ūnus: In carminibus epigraphicis vocalis „u" semper producta est, e. c. „nos . . . unus amor iunxit, nunc premit una quies"[13].

unĭus: Exitus genetivi „-īus" semel „ĭus" legendus est: „unĭus huic lustri vix fuit arta dies"[14].

De „i" correpta Priscianus[15]) in libro primo „Institutionum grammaticarum" dicit: „In Latinis autem dictionibus difficile invenies „i" longam ante vocalem positam, nisi in genetivis in „-ius" desinentibus, ut „illius", „solius", „ullius", quae tamen licet et corripere."

De numeralibus „duo" (cf. Thes. V,1 2241) **et „ambo"** (cf. Thes. I 1863)

A. De orthographia

dyo: Orthographiam in hoc numerali eam tantummodo rem appello, ubi loco soni „u" vocalis „y" scripta est. Forma dyo, quae linguam Graecam sapit, in tribus legitur titulis Romanis christianis, quorum duo sunt saeculi quarti[1]), in altero eorum (Di 4278) quinquies littera „Y" loco litterae „V" incisa est, unde nihil constare puto hoc loco de vocis pronuntiatione. Hic de sono vocabuli „dyo" nihil dici potest, quod lapicida, qui fortasse homo Graecus fuit, vocalem „V" Latinam semper littera „Y" Graeca reddidit. Accedit Silvagni 3968, ubi et „duo" et „dyo" idem lapis exhibet.

duodus: Forma duodus[2]) pro „duabus" error quadratarii est („hastis puris duodus").

δουωβους: Notanda est forma litteris Graecis perscripta δουωβους in inscriptione christiana Romana (Di 2300 A); cf. δωβους.

duó: In inscriptione quadam Hispaniensi saeculi post Christum natum secundi numerale „duo" quater apicatum legimus (II 3386 Acci in Hispania Tarraconensi); „zmaragdi duó" ter invenitur, „anuli duó" semel (cf. p. 32).

B. De sonis et litteris

Hic eas formas numeralis „duo" compono, quae mutationem consonantium et vocalium singularum non vi declinationis ortam ostendunt.

buo: Ad analogiam adverbii „bis" et nominum similium, quae a „b(i)-" incipiunt — praecipue substantivi „bisomum", „busomum" —; semel inveni formam buo[3]).

doa, doas: In duabus inscriptionibus christanis saeculi IV/V Concordia oriundis legimus „auri libras doas"[4]), „auri pondo doa"[5]); qua de scriptura sic iudicat Prinz p. 60: „Factum esse potest,

[13]) XI 1122 = CE 1273, 7 s. Parmae
[14]) CE 1401, 2 Romae, saec. VI p. Chr. n.
[15]) Gramm. Lat. II 41,9
[1]) Di 4278 a. 382; 4381 a. 392 Romae
[2]) X 135 Potentiae in Lucania
[3]) Di 4120 adn. Perusiae
[4]) V 8776 Concordiae
[5]) V 8768 Concordiae

ut in his formis „O“ orta sit ad analogiam accusativi „*dvos, dos“. In hoc numero „U“ brevem in „O“ prius transisse quam in aliis vocabulis inde apparet, quod lingua Valachica exhibet „O“: „doi“ (cf. Friaul. „doi“)“.

dobus, δωβους: Vocalis „U“ elisae exempla prostant in titulis Romanis quattuor [6]), e quibus tres christiani sunt. Forma dobus ad analogiam numeri posterioris vulgaris „dodecim“ figurata esse potest.

dos: Cum formis „doa“, „doas“, „dobus“ casus accusativus generis masculini dos comparandus est in Edicto Diocletiani 7, 59.

duovus: Semel in hac voce Ostiae littera „B“ inter duas vocales abiit in „V“, cuius rei plurima exstant exempla inde a saeculo post Christum natum quarto [7]). Formae „duobis“ hic mentionem non feci, quod „-is“ exitum casus dativi vel ablativi puto esse.

duus: Vocalis exitus accusativi generis masculini assimilatione gravis fit, cuius formae duo prostant exempla in titulis Gallicis: „menbra ad duus fratres Gallo et Fidencio“ [8]) = „membra duorum fratrum Galli et Fidentii“; et „vixit annus duus“ [9]). In lingua Francogallica medii aevi „duus“ in „dous“ transit [10]). De accusativo casu numeri pluralis generis masculini Prinz [10]) haec dicit: „ „Us“ terminatio accusativi pluralis declinationis alterius, quamquam in titulis Latinis saepe invenitur, tamen in linguis Romanensibus vix occurrit . . . Fortasse „us“ terminationis vestigium subest in vocabulo linguae Francogallicae veteris: „dous“ < „duos“.“

C. De declinatione

Hic ita progredior, ut hanc partem in duas particulas dispertiam. Caput prius testimonia grammaticorum veterum continet, alterum caput titulorum exempla.

I. De testimoniis grammaticorum veterum

Primum testimonia de numero duali refero, deinde de casibus in universum, postea de singulis casibus.

a. De numero duali

Charisius in „Institutionum grammaticarum“ libro primo in capite nono „de numeris et pronominibus“ [11]) censet: „Dualis apud Romanos non est“.

Sergius in „Explanationum in artem Donati“ libro secundo in capite „de nomine“ [12]) dicit: „Sunt quaedam nomina, quae neque singulari neque plurali adiungi numero recte possunt, et ideo duali assignanda sunt, ut „duo“, „ambo“, „uter“, „neuter“.“

---

6) VI 7318 (in columbario), Di 4578 adn., 3987 b_{18} („dobs.“ sscr. „mu“), 3995 c (δωβους, cf. Eckinger p. 13 et p. 72)
7) XIV 1151 Ostiae, cf. Corssen I p. 131
8) XIII 2483 Briord apud Ambarros
9) XII 2095 Viennae in Gallia Narbonensi, saec. VI ex.
10) cf. Prinz p. 137
11) Gramm. Lat I 18, 1 = Barwick 15, 22
12) Gramm. Lat. IV 540, 7

Pompeius in „Commento artis Donati“ in capite „de numeris“ [13]) sic iudicat: „Quaeritur, apud Latinos si possit inveniri numerus dualis, qui frequens est apud Graecos. Et invenitur in duobus tantum, ut „duo“ et „ambo“. Nam haec nomina neque singularia sunt neque pluralia . . . Propter hanc necessitatem dicimus dualis esse numeri. Idcirco, quoniam recesserunt a ratione latinitatis, anomala sunt, id est inaequalia sunt.“

Idem grammaticus in eodem libro in capite „de numeris quasi retractando“ [14]) haec adnotat: „ „Duo“ et „ambo“ non significant neque unum neque multos. Temptaverunt nonnulli haec ipsa numeri pluralis dicere . . . Plane nos scire debemus, quod duo sunt tantum modo apud Latinos, qui significant numerum dualem, „duo“ et „ambo“. Et haec ipsa nomina anomala sunt.“

Macrobius in „Excerptis Bobiensibus III“ in capite „de verbo“ [15]) docet: „De numeris superfluum loqui, cum plus quam notissimum sit dualem ex illis usum respuisse Romanum, nec omnino vocem ullam apud illos posse reperiri, quae dualitatem contineat praeter „duo“ et „ambo“.“

Contra dictum Charisii studiis grammaticis Indogermanicis comprobatum est etiam linguam Latinam numerum dualem servavisse.

b. De casibus in universum

Charisius in „Institutionum grammaticarum“ libro primo in capite quinto decimo „de extremitatibus nominum et diversis quaestionibus“ [16]) censet: „ „Duo“ et „ambo“ declinantur hoc modo: duo duorum duobus, ambo amborum ambobus et deinceps.“

Priscianus in „Institutionum grammaticarum“ libro septimo in capite „de casibus obliquis“ in parte „de dativo et ablativo plurali secundae declinationis“ [17]) dicit: „ „duo“ et „ambo“ genetivos quidem et accusativos secundum declinationem secundam proferunt, „duorum“, „amborum“, „duos“, „ambos“, quamvis in neutro differentiae causa „duum“ soleat dici . . . Dativos vero et ablativos in „-bus“ terminant in omni genere: „duobus“, „duabus“, „ambobus“, „ambabus“.“

Idem grammaticus in eodem libro in parte „de dativo et ablativo plurali primae declinationis“ [18]) docet: „ „ambae“ et „duae“, quamvis nulla causa cogente, habent dativum „ambabus“, „duabus“, quamquam genetivum „ambarum“ et „duarum“ faciunt.“

Probus in „Institutis artium“ in capite „de nomine“ [19]) dicit: „Declinatio duorum: generis masculini numeri pluralis: „hi duo, horum duorum, his duobus, hos duos, o duo, ab his duobus“; generis feminini numeri pluralis: „hae duae, harum duarum, his duabus, has duas, o duae, ab his duabus“; generis neutri numeri pluralis: „haec duo, horum duorum, his duobus, haec duo, o duo, ab his duo-

[13]) Gramm. Lat. V 165, 27
[14]) Gramm. Lat. V 174, 20
[15]) Gramm. Lat. V 636, 23
[16]) Gramm. Lat. I 64, 11 = Barwick 80, 19
[17]) Gramm. Lat. II 310, 19
[18]) Gramm. Lat. II 294, 10
[19]) Gramm. Lat. IV 122, 24

bus". Declinatio amborum generis masculini numeri pluralis: „hi ambo, horum amborum, his ambobus, hos ambos, o ambo, ab his ambobus"; generis feminini numeri pluralis: „hae ambae, harum ambarum, his ambabus, has ambas, o ambae, ab his ambabus"; generis neutri numeri pluralis: „haec ambo, horum amborum, his ambobus, haec ambo, o ambo, ab his ambobus"."

Idem grammaticus in libro „De nomine excerpta" [20] docet: „„Duo" sic declinatur: „duo, duorum, duobus, duo vel duos, duo, a duobus." Item „ambo, amborum, ambobus, ambos, ambo, ab ambobus"."

Sergius in „Explanationum in artem Donati" libro secundo in capite „de declinatione nominum" [21] verba Probi repetit: „„Duo" et „ambo" sic declinantur: „duo, duorum, duobus, duos, duo, a duobus"; item „ambo, amborum, ambobus, ambos, ambo, ab ambobus"."

Pompeius in „Commento artis Donati" in capite „de numeris" [22] haec narrat: „Debueramus dicere „his duis", quoniam „duorum" dicimus. Quando enim genetivus pluralis in „-rum" exit, dativus pluralis in „-is" exit: sicut „tecta tectorum tectis", sic et „duo duorum duis". Sed qui hoc dicat? Deinde si dixeris „doctorum", „hos doctos" facit: ergo debes dicere „duorum", „hos duos"; sed „duo" tamen aliquotiens legimus. Sed hoc secundum regulam non possumus dicere. Ceterum lectum est similiter „ambo", et „ambos" debes dicere. Sed remota sunt ista, non possumus dicere secundum regulam. Siqui dicat tibi „quare dicimus „duo" et „duos" et „ambo" et „ambos"?", haec causa est, nec illud verum est, nec illud verum est; et quoniam nec illud verum est nec illud, utrumque recte . . . Quare „hos duos" facit, cum „duis" non possumus dicere? Necesse habet enim, ut in „-is" mittat. Omnia enim nomina, quae in accusativo plurali in „-os" exeunt, dativum pluralem in „-is" mittunt . . . Nonnulli dicunt, quod debemus dicere „duo", id est „hos duo". Quare? Nam si dixerimus „hos duo", necesse habet dativus in „-o" exire, „his duo". Omnia enim nomina, quae accusativo plurali exeunt in „-o", in dativo plurali non declinantur, ut puta „hos octo", „his octo". Numquid „his octibus" facit? Similiter et „ambo" hac ratione declinatur; utrumque receptum est per analogiam. Ergo sunt . . . numeri dualis „duo" et „ambo"."

Virgilius in „Grammatica epitome" [23] refert: „A veteribus declinantur: „dui, duorum, duis, duos, a duis", sic et „ambi", rectius autem declinantur „duo, duum, duobus, duos, a duobus", sic et „ambo, ambuum, ambobus"."

Phocas in „Artis de nomine et verbo" libro secundo [24] dicit: „Communia hi et haec duo, hae duae, et ambo et ambae, horum duorum et amborum, harum duarum et ambarum, duobus et ambobus, duabus et ambabus, duos et ambos, duas et ambas, duo et ambo, duobus et ambobus, duabus et ambabus".

---

[20] Gramm. Lat. IV 213, 27
[21] Gramm. Lat. IV 543, 3
[22] Gramm. Lat. V 165, 35
[23] VI p. 46, 11
[24] Gramm. Lat. V 414, 7

Forma vetusta „duum“ non solum neutralis est, ut Priscianus dicit, sed omnibus generibus communis est. Virgilius grammaticus nugatur. Accusativus masculini generis „duos“ recentior est quam „duo“; consonans „S“ ad analogiam declinationis secundae affixa est. Linguae Indica et Graeca exitus duales rectius servaverunt quam Latina.

c. De singulis casibus

α. De casu nominativo et accusativo generis neutri

Quintilianus in opere „De institutione oratoria“ [25]) docet: „Quid quod quaedam, quae singula procul dubio vitiosa sunt, iuncta sine reprehensione dicuntur? Nam et „dua“ et „tre“ diversorum generum sunt barbarismi, at „duapondo“ et „trepondo“ usque ad nostram aetatem ab omnibus dictum est, et recte dici Messalla confirmat.“

Notanda quoque verba sunt Horatii „ludere par impar“ et numeralia ab aleae lusoribus adhibita „uni-dui“ [26]).

β. De casu genetivo generis masculini et neutri

Charisius in „Institutionum grammaticarum“ libro primo in capite septimo decimo „de analogia“ [27]) dicit: „„Duum“ Fronto ad Marcum Antoninum de feriis Alsiensibus:

> „Duum item vestrum doctum principem et navum modulorum et tibicinum studio fuisse devinctum scimus“;

Naevius in „Tarentilla“:

> „Salvi et fortunati sitis duo duum nostrum patres!“ “

γ. De casibus dativo et ablativo

Caper in libro „De verbis dubiis“ [28]) sic iudicat: „„Ambobus“, non „ambis“, et „ambabus“.“

δ. De casu accusativo generis masculini

Charisius in „Institutionum grammaticarum“ libro primo in capite quinto decimo „de extremitatibus nominum et diversis quaestionibus“ [29]) censet: „„Ambo“ et „duo“ an „ambos“ et „duos“? Ratione cum „s“ dicimus, quia omnes partes orationis, quae casus habent, exceptis neutris et monoptotis in „s“ littera accusativo plurali deficiunt. Ita cum dicamus „ambas“ et „duas“, ni mirum „a“ in „o“ translata „ambos duosque“ dicimus. Nonnulli tamen Graecos secuti, qui illi „τοὺς δύο“ et „τοὺς ἄμφω“ dicunt, „hos duo“ et „hos ambo“ dixerunt; in quibus Vergilius (Georg. IV 88):

> „Verum ubi ductores acie revocaberis ambo“.“

Postrema exscripsit Beda in libro „De orthographia“ [30]).

---

[25]) I 5, 14
[26]) schol. Porph. Hor. sat. 2, 3, 248
[27]) Gramm. Lat. I 127, 3 = Barwick 161, 13
[28]) Gramm. Lat. VII 107, 14
[29]) Gramm. Lat. I 65, 16 = Barwick 82, 10
[30]) Gramm. Lat. VII 264, 1

Priscianus in „Institutionum grammaticarum" libro septimo in capite „de casibus obliquis" [31]) docet: „Accusativus masculinorum est quando similis nominativo profertur, quomodo in neutris. Vergilius in Aen. XI 285 sq.:

„Si duo praeterea talis Idaea tulisset
Terra viros."

Lucanus autem in Phars. I 110 sq.:

„Quae mare, quae terras, quae totum possidet orbem,
Non cepit fortuna duos."

Iuvenalis similiter in sat. II 6, 641 sq.:

„Tune duos una, saevissima vipera, cena
Tune duos?" "

Caper in libro „De orthographia" [32]) dicit: „ „Ambos" et „duos" accusativo dicimus, „ambo" et „duo" nominativo."

Phocas in „Artis de nomine et verbo" libro secundo [33]) sic iudicat: „ „Duo" et „ambo" etsi correpta esse videantur, tamen accusativo dupliciter efferuntur: Namque „hos duos" et „hos duo", item „ambos" et „ambo" apud auctores invenimus."

Beda in opere „De orthographia" [34]) dicit: „Ambo" et „duo" neutraliter, „ambos" et „duos" masculine".

II. De titulorum exemplis

Grammaticorum testimoniis absolutis transeamus ad titulos ipsos, quorum auctores in singulis casibus his usi sunt formis ab usitato dicendi genere recedentibus:

a. De casu nominativo et accusativo generis neutri (cf. p. 24)

d u a , d o a: In nominativo et accusativo casibus vocabulum nonnumquam „a" pro „o" syllaba terminatur, quae res analogia orta est ad numerum pluralem generis neutri declinationis secundae et tertiae, d u a pro „duo" [35]). Praeter d o a (p. 20) in titulis legi

[31]) Gramm. Lat. II 310, 21
[32]) Gramm. Lat. VII 94, 5
[33]) Gramm. Lat. V 414, 5
[34]) Gramm. Lat. VII 264, 1
[35]) VI 11275 („iugera"), 21852 („vasa"), 25063 („funera"), 25131 („loca"), 29702 („pondo"), 35858 („loca"), 36590 („sartofaga")
Not. scav. 1894 p. 144 Romae („corpora") = CE 857, 1
Di 3818 Romae („trisoma")
XIV 1934 Ostiae (christ., „loca")
IV 1507 Pompeiis („pensa")
IV 1990 Pompeiis („capita")
V 1102 Aquileiae („corpora"), unus testis „duo"
V 8748 Concordiae (christ., „pondo")
V 8759 Concordiae (christ., „pondo")
XIII 3487 apud Ambianos („tribunalia")
III 9503 Salonis, a. 360 („amba", christ., „corpora")
III 9567 Salonis, saec. V (christ., „corpura")
III 9927 Burni in Dalmatia (christ., „corpora")
III 15016 in Dalmatia („pondo")
III 633 Philippis („sigilla")
III 138 Heliupoli Syriae, saec. III („capita")
DE 4645 Samarobrivae („tribunalia")

exempla viginti quinque, quorum sunt novem Romana, unum Ostiense, duo Pompeiana, unum Aquileiense, duo Concordiensia. Exempla reliqua reperta sunt in Gallia, Illyrico, Graecia, Syria. Ad christianitatem septem pertinent; adhibentur plerumque „corpora", „pondo", „loca". Etiam in libris manuscriptis nonnulla exempla exstant: Gromat. vet. 303, 3. Orest. tr. 26. Apic. 4, 171; 7, 298. Scribon. 45. 81. 206.

b) De casu genetivo (cf. p. 24)

d u o m, d u u m: Genetivus vetustus „duum" e forma „*dvoi̯ōm"[36]) ortus diu vigens fuit; vocabulum inprimis in magistratus nomine „duomvir" > „duumvir" et apud auctores Latinos et in titulis tam liberae rei publicae aetatis quam imperatorum usitatum est. Forma vetustissima d u o m in inscriptione quadam Africana occurrit: „annorum duom" (VIII 21345 Caesareae in Mauretania). Exempla ethnica genetivi d u u m inveni septem[37]), christiana autem duo[38]). Haec forma in libris manuscriptis saepe occurrit[39]): Naev. com. 86. Plaut. Men. 542 (duom). Acc. tr. 321 et 656. Varr. l. L. 10, 11. Cic. ep. 12, 15, 2. Caes. b. G. 3, 17, 5. Auct b. Afr. 70, 4 et 75, 1. Sall. Iug. 50, 3. Liv. 7, 7, 6. Vitr. 1, 6, 9. Val. Max. 5, 1, 1. Mela 2, 107. Plin. 12, 89. Tac. hist. 4, 57. Frontin. aqu. 8 et 9. Fronto ad M. Caes. 1, 6 p. 15, 20. Capit. Gord. 28, 2. Eutr. 8, 21. Itala Ioh. 8, 17. Iuvenc. 3, 431.

d u m: Forma contracta d u m casus genetivi vetusti „duom" > „duum" ter legitur: „annorum d u m" (III 2492 Salonis), „an. d u m" (II 2510 Bragançae in Hispania Tarraconensi, III 4314 Brigetione in Pannonia superiore).

d u o r u, d u o r o, d u a r u: „M" finalis infirma lingua vulgari abici potest: d u o r u[40]), d u o r o[41]), d u a r u[42]).

c) De casibus dativo et ablativo (cf. p. 24)

d u o b i s, a m b i s: Exitus verbi „-is" e declinatione prima et secunda videtur potius translatus quam sono „u" in „i" mutato ortus esse, qua re d u o b ī s[43]) legendum esse existimo. Vulgaris forma a m b i s[44]) apud auctores ter servata est: Nips. grom. p. 288, 12 (in

[36]) Brugmann Distrib. 55
[37]) VI 13146 („mensibus duum"), 16592 („senatorum duum"), 36264 („Rufinorum duum"); cf. Konjetzny: De idiotismis ... ALL XV p. 331
IX 1414 Flumari prope Aeclanum („duum milium")
X 114, 15 Peteliae Bruttiorum („tricliniorum duum")
VIII 21104 Caesareae in Mauretania („annorum duum")
XII 771 Arelate („ann. duum")
[38]) Di 2797 B adn. Romae („annorum duum")
Di 504 Concordiae („auri p. duum"), saec. IV—V
[39]) Georges p. 231, cf. Thes. l. c.
[40]) Di 3574 E Romae
[41]) Di 4575 Romae
[42]) VI 7650 Romae
[43]) III 4222 Savariae in Pannonia prima (christ., „pictoribus pelegrinis")
[44]) IX 3358 Pinnae in Vestinis („parentibus pauperibus")
X 7569 Caralibus, saec. II med. (sc. „coniugibus")

ambis lapidibus), Greg. Tur. Franc. 4, 13 (ambis calcaneis), Lex Sal. 25, 2 (ambis convenientibus).

d) De casu accusativo generis masculini (cf. p. 24)

Persaepe legitur „vixit annos duo“ in titulis Romanis [45]) et Italicis [46]), inter quos pars maior christianorum est, item „vixit menses duo“ [47]), „vixit dies duo“ [48]) saepe a christianis inciditur. Duo exempla Africana [49]) sunt. Et „duo“ et „duos“ in eadem inscriptione christiana Liguriae occurrit: „Vixit annus duo, dies duos“ [50]).

In fastis Praenestinis (CIL I² 1 p. 233) legimus „inter duo lucos“. Ad locum Huelsen adnotavit „post ‚duo‘ nihil deest“. Etiam in Actis fratrum Arvalium ad annum post Christum natum 37 pertinentibus „boves mares duo Iovi . . . [immolav]it“ legitur, item ad a. 60. Praeterea notatu digni videntur tituli christiani hi: „triginta et duo perfeci (i. e. annos)“ [51]), „quadraginta duo mecum fero flebilis annos“ [52]), „parvulos duo liquit“ [53]), „dismisit duo natos“ [54]), „nutrivit natos duo“ [55]), „auri solidos duo“ [56]), „hic sunt duo fratres, hos duo testa tegit“ [57]), „in frontes duo p. ter(nos) et in latera duo p. ternos“ [58]) „demisit filius duo“ [59]).

---

45) VI 6381, 18949, 35915
Di 2136, 2266 D, 2713 B, 2826, 3013 C, 3135, 3903 A, 4018 C, 4309, 4545, 4594
Di 3423 saec. VI ex.
Di 4033 a. 383
Not. scav. 1888 p. 450 a. 462

46) IX 1397 Aeclani Samnii
X 1383 prope Nolam Campaniae, periit, a. 567
X 4510 Capuae, a. 563
XI 2534 Clusii Etruriae, saec. III

47) VI 13148, 27448 Romae
Di 3285 B, 4022 B, 4220, 4250 B, 4277 C Romae
Di 645 Romae, a. 269
Di 1327 Romae, a. 363
Di 4409 Romae, periit, a. 363
X 4492 Capuae, periit, a. 392
X 4493 Capuae, a. 397
Not. scav. 1907 p. 496 Catinae in Sicilia, cf. X 7116
V 6191 Mediolanii, periit
VIII 23392 Midid in provincia Byzacena

48) VI 20501 Romae
Di 2999 A, 3362 Romae

49) VIII 23392 Midid in provincia Byzacena
VIII 27994 c prope Thevestem
XI 2551 Clusii, saec. IV

50) V 8958 Chieri, a. 488

51) CE 1341, 2 Romae

52) VI 12845 Romae

53) Di 4755 Romae

54) III 9623 Salonis

55) VIII 5370 Calamae in Numidia proconsulari

56) Di 3780 Romae

57) VI 18905 Romae

58) VI 28044 Romae

59) Di 4566 Romae

Auctores multa exempla praebent[60]): Plaut. Amph. 1138 („uno partu duo peperit simul"), Epid. 344 s. („ante aedis duo sodales, erum et Chaeribulum, conspicor"), 373 („quae senes duo docte ludificetur"), Most. 775 s. („Alexandrum Magnum atque Agathoclem aiunt maximas duo res gessisse"), Pseud. 332 s. („Lanios inde accersam duo cum tintinnabulis, eadem duo greges virgarum inde ulmearum adegero"); Ter. Ad. 809 („tu illos duo olim pro re tollebas tua"); Lucil. Sat. ed. Marx 527 s. („res Cotus ille duo hos ventos, austrum atque aquilonem, novisse aiebat solos"); Varro r. r. 1, 18, 5 („sequetur ut duo vilicos et duas vilicas habeat"), 3, 1, 9 („tres libros institui, e quis duo scripsi"); Cic. Tusc. disp. 1, 110 („multo autem tardius fama deseret Curium, Fabricium, Calatinum, duo Scipiones, duo Africanos"), nat. deor. 2, 32 („audiamus enim Platonem quasi quendam deum philosophorum; cui duo placet esse motus, unum suum, alterum externum"), Pis. 44 („esse duo duces in provinciis populi Romani"); Caes. b. G. 5, 38, 3 („interfectos esse legatos duo"), 7, 33, 3 („fratrem a fratre renuntiatum, cum leges duo ex una familia vivo utroque non solum magistratus creari vetarent, sed etiam in senatu esse prohiberent"); Verg. Aen. 11, 285 s. („si duo praeterea talis Idaea tulisset terra viros"); Hor. sat. 1, 7, 15 („duo si discordia vexet inertis"). Praeterea in Thesauro linguae Latinae multa alia exempla posita sunt (V 2243).

D. De syntaxi

Hoc caput in tres partes divido: primum de „duo" indeclinabili refero, deinde de „duum" pro „duobus", postea de generis permutatione.

I. De „duo" indeclinabili

Vocabulum „duo" saepe indeclinabile est ad analogiam numerorum „quattuor" usque ad „centum", in primis „octo".

„duo" pro „duorum": Duo pro „duorum" semel occurrit („annorum viginti duo"[61]). Exempla auctorum: Vitr. 10, 11. § 3. 4. 5. Scaevol. dig. 31, 89, 1.

„duo" pro „duobus": Duo pro „duobus" crebro legi in titulis Italicis et paucis Africanis: „vixit annis duo"[62]), „vixit

[60]) Georges p. 231
[61]) Di 3781 Romae, a. 397
[62]) Di 4369 A Romae, saec. IV
Di 2797 E adn., 4245 Romae
Di 645 Romae, a. 269
IX 2184 Caudii
X 4490 Capuae, a. 385
X 4712 Calibus prope Capuam
XI 746 Bononiae
Di 2855 Orléansville, a. 314
VIII 2755, 3620 Lambaesi in Numidia
VIII 4523 Zarai in Numidia
VIII 23053 Uppennae

mensibus d u o " [63]), „vixit diebus d u o " [64]).

Praeterea notatu digni videntur esse tituli hi: „nata est puella annis d u o " [65]), „militabit in pretoria annis d u o " [66]), „[d] u o mensibus inter" [67]), „cum filis suis d u o " [68]). Dictio similis est „vixit annis tres" (cf. „tres" p. 35).

„d u o " pro „d u o s " sive „d u o b u s ": De casu ablativo sive accusativo non constat in dictione „vixit mens. [69]) d u o ", item in dictione „vixit anni trigi[nta] quinque, mens. d u o " [70]).

II. De casuum perturbatione

De casibus in aetate vitae indicanda inter se perturbatis Konjetzny in commentario „De idiotismis syntacticis in titulis Latinis urbanis conspicuis" (ALL XV 297 ss.) diligentissime verba fecit. Casuum permutatorum numeralis „duo" haec exempla enumero: „hic quescunt d u a s matres, d u a s filias" (III 3551 = Di 3476 Aquinci), „ollas d u a s " pro „ollae duae" (VII 6455, 23247 Romae), „bixxit mensibus d u u m " [71]), „nonaginta annos vixerunt adque d u o b u s " (III 14237 = CE 1990, 3 Pitunti in Dalmatia), „im mentem nos habeto d u o b u s " (Di 2329 Romae); cf. Thes. V 2242, 83.

III. De generum permutatione

De permutatione generis masculini et feminini agitur in dictionibus „oris d u o b u s " [72]) pro „oris duabus", „hastis puris d u o d u s " (X 135 Potentiae in Lucania; cf. p. 20), „aream inter d u o s turres" (XII 3179 Nemausi in Gallia Narbonensi), „ex Ger(maniis) d u o b u s " (DE 9116 Newcastle).

IV. De numeralium variatione (cf. p. 41)

Pro „sex" in carmine quodam epigraphico cardinale „duo" et distributivum „quaterni" inter se adduntur: „d u o e t q u a t e r n o s vite conpleverat annos" (XI 5796 = CE 1822, 3 Sentini) cf. „bis singulos" pro „duo" (CE 1612, 3 in provincia Byzacena).

V. De synonymo „geminus" (cf. Thes. VI 1740)

In compluribus carminibus epigraphicis vocabulum „geminus" pro „duo", „ambo", „uterque", „bis" positum est, e. c. „orbatusque

---

63) Di 2998 G, 3656 Romae
X 1089 Nuceriae („annis XXVI, m. duo")
X 7658, 7662 Caralibus
64) Di 4004 D b Romae
65) Revue archéologique 1924 II p. 410 Romae
66) VI 2785 Romae
67) III 14237 = CE 1990, 2 in Dalmatia
68) V 5215 Olate prope Lecco ad lacum Larium
69) VI 6635, 23677, 24991 Romae
70) Di 4000 A adn. Romae
71) VI 13146 Romae, cf. Konjetzny ALL XV p. 331
72) IX 2151 a Ponte Aelio

parens g e m i n u s . . ." (VI 10969 = CE 443,10 Romae), „grata fui domino, g e m i n o dilecta parenti" (VI 5534 in columbario ad viam Appiam posito = CE 1035,3), „dign(u)s ita g e m i n i s ducibus consortia sacra" (V 1623 = CE 1350, 3 prope Aquileiam, a. 423), „sic g e m e n o felix perfunctus munere gaudet" (XII 338 = CE 1369, 7 in ora maritima provinciae Galliae Narbonensis, saec. VI), „ut g e m i n a s dilueret cultu proprio sordes" (Rossi II p. 170, 26, 23 Ticini, a. 710), „triginta et g e m i n o s decim vix reddidit annos" (i. e. quinquaginta, XII 942 = CE 667, 5 Arelate), „Theodosii iussis g e m i n o nec mense peracto Constantinus ovans haec moenia firma locavit" (III 734 = CE 289, 1 s. Constantinopoli, a. 447), „quo nunc Calliope g e m i n o me limite cogis, quas iam transegi, rusus adire vias?" (VIII 213 = CE 1552 B 5 s. in colonia Cillitana). Accedunt duo exempla prosaica: „nymphis g e m i n i s sacrum" (IX 5744 Ricinae), „ob . . . urbanae praefecturae g e m i n a m dignitatem" (VI 1727 Romae, saec. V).

VI. De sensu technico numeri „duo"

In titulo quodam Pompeiano (IV 4713) legimus „fenestra Cypares alta a terra i n t e r d u o hoc est; lata fenestra i n t e r d u o hoc est"; i. e. fenestra alta et lata est inter duo, quantum lineola, quae est supra utriusque inscriptionis principium, distat a terra. Dictione „inter duo" idem significatur, quod apud architectos, aedificatores, operarios, caementarios fabrosque tignarios nostros vocabulis „im Lichten" exprimitur (cf. Grimms Wörterbuch VI p. 859, 861 adi. „licht" 13, 18 c).

VII. De numerali „duo" in numeris fractis posito

Pro numero fracto d u a e p a r t e s t e r t i a e (cf. II 1964, 64. 67. 68 in lege Malacitana) saepius simpliciter d u a e p a r t e s scribitur, exempli causa „d u a e p a r t e s iudicum" in lege repetundarum (I² 583, 49 ex loco incerto, a. 123/122 a. Chr.), „d u a e p a r t e s decurionum" (X 4842, 41 prope Venafrum, I² 594 I 4, 11, III 4, 2 prope Ursonem, a. 44 a. Chr.).

VIII. De dictione „duo paria" pro „bini"

Notanda est dictio in tabella cerata „de qua re d u o p a r i a tabularum signatae sunt" pro „binae tabulae" (III p. 950, 20 Verespataki in Valachia, a. 167).

IX. De numeralium „duo" et „ambo" distinctione (cf. Thes. I 1863)

Scriptor anonymus in libro „de differentiis sermonum" (Gramm. Lat. suppl. 285, 25) numeralia „duo" et „ambo" hoc modo distinguit: „inter ‚duo' et ‚ambo' hoc interest, quod duo numerantur, ambo congregantur." „Ambarum" pro „duarum" exspectamus in dictione

„duarum Scriboniarum l." (VI 37380 Romae, saec. I a. Chr.); duae Scriboniae sunt uxor prima imperatoris Augusti et uxor Sexti Pompei Cn. Magni filii. Item „Germaniae duae" in inscriptionibus saepius invenitur (VI 1625 b in monte Aventino, DE 1330 Lugduni, 1411 Zamae, 9116 Newcastle).

E. De re metrica

I. De testimoniis grammaticorum veterum

Charisius in „Institutionum grammaticarum" libro primo in capite duodecimo „de monoptotis" [73] dicit, quod in „Excerptis Bobiensibus" [74] repetitum est: „Observabimus ut, quotiens de neutro loquamur, correpta „o" littera dicamus „duŏ milia"; in accentu longo „duō homines" dicimus".

Macrobius in „Excerptis Parisiensibus" in capite quinto decimo [75] censet: „Asseveraverim Vergilium . . . „o" finale in uno omnino verbo, adverbio, nomine, uno pronomine corripuisse: „scio", „modo", „duo", „ego": Aen. III 116: „modo Iuppiter assit", Aen. XI 285: „si duo praeterea"."

Phocas in „Artis de nomine et verbo" libro secundo in capite tertio [76] docet: „Nominum in „o" exeuntium sunt quattuor tantum modo, quae neutralia esse possunt, quorum pars dimidia declinationem patitur, ut „duo" et „ambo". „Pondo" autem et „octo" monoptota sunt . . . Id quoque observabimus, ut, quotiens de neutro loquamur, correpte dicamus „duo milia" παρὰ τὸ δύο. In accentu enim longo „duo homines" et „ambo homines", „duae mulieres" et „ambae mulieres" dicuntur."

Beda in libro „De arte metrica" in capite „de ultimis syllabis nominum, pronominum, participiorum" [77] sic iudicat: „„Ambo" et „duo", si neutra sunt, corripiuntur; si masculina, producuntur."

II. De testimoniis grammaticorum recentium

Differentiam quantitatis litterae „o" inter masculinum et neutrum genus esse Meringer [78] putat. Nominativum masculini generis in lingua Indogermanica „*dvō" vel „*dvōu", neutri „*dvoi" fuisse existimat, sed in lingua Latina forma masculina in genus neutrum invasit.

Inter „duos" et „duo" differentiam statuere conatur Studemund [79], ut „duos" pro bisyllabo sit posita, „duo" quasi monosyllabon, quae distinctio nec rationem habet nec codicibus probatur.

---

73) Gramm. Lat. I 35, 24 = Barwick 40, 4
74) Gramm. Lat. I 551, 12
75) Gramm. Lat. V 617, 11
76) Gramm. Lat. V 413, 26
77) Gramm. Lat. VII 238, 17
78) KZ XXVIII 234
79) ALL III 550

Quantitatis differentiam inter „ambō“ et „duŏ“ observare debemus [80]).

In lingua Latina tertii et secundi saeculi ante Christum natum „duō“ lege, ut ita dicam, iambi corripiendi in „duŏ“ corripitur, exempli causa apud Naevium in Tarentilla „salvi et fortunati sitis duo duum nostrum patres“; cf. Johannes Drexler in libro „Plautinische Akzentstudien“, Vratislaviae 1923 33 II p. 252 Ter. Haut. 940 „dúo talénta pró re nóstra ego ésse décrevi satís“, II p. 326 Ter. Ad. 823 „duo quóm idem fáciunt . . .“

III. De titulorum exemplis

a) De casu nominativo generis masculini

d u ŏ: Tribus in inscriptionibus formam correptam „duŏ“ inveni: „hi d u o conventi una fata secuti uno lectui compositi una favilla iacent“ [81]), „hi d u o viderunt fratres, dulcissima coniux“ [82]), „his d u o iunguntur, quos menses quattuor augent“ [83]), sed cf. p. 20 „duó“.

d u o in elisione: Casus nominativus generis masculini „duo“ in elisione bis occurrit: „sei nomen quaeris, sum Lesbia, sí d u o amantes, Anchialus dulcis“ [84]), „viginti d u o erant anni, si fata dedissent“ [85]).

d u o in hiatu: Nota hiatum in versu carminis non politi „[commu]ni heic animo d u o ut essemus sití“ (CE 68, 5 Romae).

b) De casu accusativo generis masculini

d u ō s forma monosyllaba: Forma casus accusativi generis masculini „duōs“ interdum monosyllaba est: „nam d u o s una dies et pestis acerba abstulit hos pueros“ [86]), „numqua feci dolum neque d u o s [rapio] tibi ama(n)tes“ [87]).

d u ŏ: Vocalis „o“ producta vel correpta esse potest in exitu iambi versus: „Seiius Fundanus nutrivit natos d u o “ [88]).

d u ō: Vocalis „o“ producta est: „quadraginta d u o mecum fero flebilis annos“ [89]).

d u ŏ: Quinque in inscriptionibus vocalis „o“ correpta est: „hos d u o testa tegit coniecta in un[um]“ [90]), „haec d u o dum vixit iuvenes ita rexit amantes“ (CE 1988, 28 Romae), „[e]t d u o menses“ [91]), „vixisti

[80]) cf. ἄμφω et δύο
[81]) IX 5140 = CE 2167, 1 ss. Bellante, periit
[82]) XI 6125 = CE 986, 9 Fori Sempronii
[83]) V 7917 = CE 404, 2 prope Cemenelum Alpium maritimarum
[84]) VI 21200 = CE 973, 7 Romae
[85]) VI 25871 = CE 1219, 1 Romae
[86]) VIII 9048 = CE 1610, 5 s. Auziae
[87]) III 5295 suppl. 11709 = CE 637, 2 ex agro Celeiano
[88]) VIII 5370 = CE 112, 1 Calamae
[89]) VI 12845 = CE 387, 5 Romae
[90]) VI 18905 = CE 1228, 1 Romae
[91]) VI 22413 = CE 1638, 11 Romae

triginta annos duo mensibus et sex"[92]), „bis quinos annos mensesque duos, duo soles"[93]).

duŏ in hiatu: Accedunt duo exempla, in quibus casus accusativus generis masculini „duo" in hiatu positus est: „Hic Maxima iacet nunc Vidia funeri acerbo rapta patri et matri raptamque serori. duo et quaternos vite conpleverat annos"[94]), „hunc illi dismisit duo anxia natos"[95]), quam versum Buecheler ita interpretari conatur: „hic illi reliquit duos anxiae natos".

c) De casu ablativo generis masculini

duŏ: Pro „duōbus" uno in titulo Dalmatino „duŏ" occurrit: „uno anno obiere sim[ul d]uo mensibus inter"[96]).

d) De nominativo et accusativo casibus generis neutri

duŏ: Formam correptam „duŏ" tribus in titulis legimus: „debuit hoc patris nátus duo corpora humáre"[97]), „parentis tumulus duo funera corpore in uno exequias geminas nunc cinis unus habet"[98]), „quarum pro meritis tumulis duo corpora iunxi"[99]).

duă: Analogica forma „duă" bis invenitur: „heu crudele nimis fatum dua funera maerens"[100]), „[hic s]ita sunt pia natorum dua cor[pora cara]"[101]).

De numerali „tres"

A. De orthographia

treres: Dittographia forma treres[1]) est.

tes, tsibus: Item errores lapicidarum formae tes[2]) et tsibus[3]) sunt (cf. „puatuor", „ruinrue").

triúm: Exitum casus genetivi semel apice affectum videmus[4]). Apex errore positus est.

tre: Exemplum suspensionis legimus in titulo Romano: „an. VII, me. tre., di. XXIII"[5]).

92) CE 1829, 11 Hadrumeti
93) CE 434, 3 Pisauri
94) XI 5796 = CE 1822, 3 ss. Sentini
95) III 9623 = CE 627, 8 Salonis
96) III 14237 = CE 1990, 2 in Dalmatia
97) VI 12307 = CE 1050, 1 Romae
98) XIV 2737 = CE 1297, 5 s. sub Tusculo
99) III 14237 = CE 1990, 5 in Dalmatia
100) VI 25063 = CE 1549, 1 Romae
101) CE 857, 1 Romae
1) XI 1730 Florentiae in Etruria
2) Di 1436 Myrtili in Hispania, a. 472
3) Di 4029 A Romae
4) XI 1196 Veleiae
5) Di 3009 D Romae, periit

τ ϱ ι ο υ ν: Scriptura Graeca in titulo iudaico „m“ in „n“ mutatur[6]).
t r i u: „M“ infirma abici potest: t r i u[7]).

B. De sonis ac litteris

t r e a: Ad analogiam generis masculini et feminini vocalis „e“ etiam in formas neutrales invadit: „pon[do] t r e a“[8]), „corpora t r e a[9]) bacant“[10]).

t r e i s: Forma Graeca t r e i s[11]) est.

C. De declinatione

I. De testimoniis grammaticorum veterum

Cornelius Fronto in libro „De differentiis“[12]) docet: „„Tris“ et „tres“: „tris“ in accusativo casu, „tres“ in nominativo et vocativo“.

Priscianus in „Institutionum“ libro septimo[13]) haec loquitur: „Hi et hae tres, horum et harum trium“.

Idem grammaticus in eodem libro[14]) dicit: „Tres, trium, hos et has tres vel tris. Virgilius in III Aeneidos 203 s.:

„tris adeo incertos caeca caligine soles
erramus pelago“.“

Accusativos in „-is“ desinentes Priscianus in eodem libro[15]) tractat: „Accusativus pluralis tertiae declinationis similis est proprio nominativo, sicut et vocativus . . . inveniuntur tamen quaedam in „-is“ productam terminantia, quae etiam nominativo similiter in „-is“ desinunt; quae apud Graecos in supra dictis casibus „-εις“ dipthongum habent finalem.“

Eadem de re Gellius in „Noctibus Atticis“[16]) haec dicit: „Nos autem aliud quoque postea consimiliter a Vergilio[17]) duplici modo scriptum invenimus. Nam et „tres“ et „tris“ posuit eodem in loco ea iudicii subtilitate, ut si aliter dixeris mutaverisque et aliquid tamen auris habeas, sentias suavitatem sonitus claudere.“

Apud Servium hoc dictum est ad Verg. Aen. I 108: „Tris“ Latinum est; genetivus enim pluralis quotiens in „-ium“ exit, accusativum pluralem in „-is“ mittit“.

---

6) III 10055 add. p. 2328, 175 = Di 4919 Seniae in Dalmatia (iud.)
7) Di 4573 Romae
Di 3439 Viennae
8) V 8745 Concordiae; cf. Not. scav. 1890 p. 171
9) Di 3800 Romae
10) cf. Gromat. vet. 99, 3
11) III 562 Athenis
12) Gramm. Lat. VII 529, 21
13) Gramm. Lat. II 355, 15
14) Gramm. Lat. II 359, 9
15) Gramm. Lat. II 357, 22
16) XIII 21, 10
17) Aen. X 350 s.

De origine accusativi „tris“ ita iudicandum est: forma „tris“ vocabulis, quorum stirpes in „i“ desinunt, annumeratur et e „*trins“ orta est.

II. De titulorum exemplis

Grammaticorum testimoniis absolutis ad exempla inscriptionum pervenimus.

Tris non solum accusativus [18]) secundum dictum Frontonis, sed etiam nominativus [19]) esse potest, fortasse etiam ablativus [20]) ad analogiam declinationis primae et secundae. Permulta exempla substantivorum tertiae declinationis in nominativo et accusativo casibus numeri pluralis in „-es“ vel „-is“ exeuntium comparari possunt. Accusativus „tris“ in libris manuscriptis saepe occurrit [21]).

D. De syntaxi

„Tres“ interdum flexione videtur carere: casus genetivus: „mensorum tres“ [22]); casus ablativus: „vixit an(n)is tres“ [23]). Num contaminatio duarum constructionum subsit, nescio; nam et accusativus et ablativus temporis iuxta „vixit“ invenitur [24]), et saepissime annus casu ablativo ponitur, mensis autem aut dies accusativo vel vice versa, veluti „vixit ann. XXV, mens. tres, diebus VII“ [25]). Hofmann [26]) numerum syllabarum exaequandi causa lapicidas „vixit annis . . ., menses . . ., dies . . .“ dictioni „vixit annis . . ., mensibus . . ., diebus . . . .“ praetulisse censet [27]). Re vera Konjetzny [28]) e titulis

---

18) VI 14786 Romae
Di 3120, 4145 adn. Romae
Di 3783 b Romae, a. 500 (ibid. „trimisse“)
X 808 Pompeis
X 7116 Catinae; cf. Not. scav. 1907 p. 496
XIII 1531 in agro Arvernorum Aquitaniae, periit, a. 526/27
XIII 3510 apud Ambianos in Gallia Belgica, periit
Inscr. Brit. christ. 10 Cornwall

19) III 10190 Podgoricae prope Docleam in Dalmatia; cf. Kühner I § 72 b p. 332 s.

20) Di 3781 Romae

21) Georges p. 699

22) Di 2758 Romae
Di 1527 Fori Sempronii in Umbria

23) Di 2692 A adn., 4482 Romae
Not. scav. 1920 p. 153 Romae („dieb. tres“)
VIII 8637 Sitifi in Mauretania
VIII 24503 Djebel Djellud
III 7582 Tomis

24) cf. Pirson p. 183 s.

25) VIII 14518 Hr. Hammâm Darradji

26) Syntax und Stilistik, in Stolz-Schmalz Lat. Gramm. 1928 § 17 p. 381 s. (acc. temp.), § 62 p. 451—453 (abl. temp.)

27) § 62 p. 452

28) De idiotismis syntacticis in titulis Latinis urbanis, ALL XV p. 331.

solum urbanis dictionis „vixit annis . . ., menses . . ., dies . . . (horas . . .)“ centum viginti exempla collegit, „vixit annis . . ., menses . . ., diebus . . .“ vel „vixit menses . . ., diebus . . .“ septendecim, „vixit annis . . ., mensibus . . ., dies . . .“ viginti quinque, „vixit mensibus . . ., dies . . .“ tria, „vixit annis . . ., diebus . . ., horas . . .“ unum, „vixit mensibus . . ., dies . . ., horis . . .“ duo, „vixit annos . . ., mensibus . . .“ quinque, „vixit annos . . ., mensibus . . ., diebus . . .“ duo, „vixit annos . . ., diebus . . .“ sex, „vixit annos . . ., menses . . ., diebus . . .“ unum.

ter singulos pro tres: In carmine quodam epigraphico Romano legimus „ter singulos nondum conpleverat annos“ [29]) pro „nondum tres annos compleverat“.

tergemino pro tribus: Licentia poetica „tergemino mense“ pro „tribus mensibus“ est in versu „tergeminoq. super complevit tempora mense“ [30]), nisi scriptor „sex mensibus“ exprimere voluit.

E. De re metrica

In carminibus epigraphicis forma „tres“ semper producta est, „trium“ et „tribus“ semper „i“ correpta leguntur, cum, ut linguis Graeca et Indica comprobatur, „trei-“ radix nominativi, sed „tri-“ casuum obliquorum sit. Tamen in versu „annorum triu fuit mensibus q(uinqu)e“ [31]) vocalem „i“ productam esse verisimile esse puto.

De numerali „quattuor“

A. De orthographia

qattor, qator: Priorem sonum labialem servatum esse et formis qattor [1]), qator [2]) nihil nisi „q“ pro „qu“ scriptam probari ex consensu plurimarum linguarum Romanensium conici potest [3]).

quatuor: Formam quatuor, cum etymologiam vocabuli consideramus, rectiorem esse quam „quattuor“ a nobis concedendum est [4]). Forma Graeca τέτταρες comparationis causa adhibenda non est, cum „ττ“ ex „τϝ“ [5]) assimilatum sit, quae res lingua Sanscritica [6]) demonstratur. Sed in titulis forma „quatuor“ [7]) non scriptura etymologica, sed geminatione consonantis „t“ neglecta orta est.

[29]) VI 23010 = CE 503, 1 Romae
[30]) V 6724 = CE 705, 9 Vercellis, saec. V
[31]) Di 3439 = CE 1407, 3 Viennae, saec. VI
[1]) VIII 23049 a Uppennae in Byzacena
[2]) Di 2572 Romae
[3]) Meyer-Lübke I § 426 p. 352
[4]) Osce „petora“
[5]) *τέτϝαρες
[6]) „catvāras“
[7]) VI 31711 Romae
DE 2693 Pisauri
VIII 23585 Mactari

quadtuor, quadtor: Semel etiam quadtuor[8]) occurrit, bis quadtor[9]), quae formae ad analogiam vocabulorum „quadratus", „quadraginta" sim. ortae esse possunt.

B. De sonis ac litteris

qattor, qator: Formas qattor et qator, nisi scripturae merae orthographicae pro „quattor" et „quator" sunt (cf. supra), analogia quoque numeri „qinque", „cinque" explicare possumus, quae figurae dissimilatione semivocalium „u̯" ortae sunt. Etiam in numerali „quattuor" semivocales „u̯" dissimilatae esse possunt: „quattuor" > „*qattuor" > „qattor" sive „qator".

puatuor: Ad analogiam aliarum dialectorum[10]) a sono labiali vocabulum initium sumere potest: „puatuor"[11]). Sed etiam in una littera in ordine litterarum quadratarius potest peccavisse.

quattor, qattor, quator, qator, quadtor: Saepe vocalis „u" syllabae secundae eliditur vel in „v" formata „t" consonanti antecedenti adaequatur[12]), quam rem hodie perfectam omnibus in linguis Romanensibus videmus. „Quattuor" saepissime sermone vulgari quattor[13]) pronuntiatum esse[14]) docent exempla satis multa[15]). Linguae Romanenses quamquam omnes „u" vocalem eiecerunt, de forma Latina nihil probant, cum figuras „quattuor" et „quattor" eandem formam in linguis Romanensibus effecturas fuisse verisimile sit. In titulis legimus: quattor[16]), qattor[17])quator[18]), qator[19]), quadtor[20]). Vocalem „u" post „tt" consonantes semivocalem factam

---

Nouveau recueil des inscriptions chrétiennes de la Gaule 5 Luguduni a. 564
XIII 1531 in agro Arvernorum Aquitaniae, periit, a. 526/27

8) VI 24938 Romae
9) Di 2553 adn. Romae
VIII 14125 Carthagine
10) Osc. „petora", Valach. „patru", Sard. „battoro"
11) Di 3856 Romae
12) Johansson: Zur Femininbildung der indogermanischen Sprachen (KZ XXX p. 409 adn. 2), Solmsen: Etymologien (KZ XXXV p. 477)
13) Ritschl opp. III p. 638 adn., 650 adn.; Lachmann zu Lucr. III 917
14) cf. de re metrica
15) Ihm: Vulgärformen lateinischer Zahlwörter auf Inschriften (ALL VII p. 65 sq.)
16) VI 13302, 13359, 18013, 22376, 24462 Romae
Di 3105 F, 4024 Romae
XIV 980, 1819 Ostiae
IX 3437 Peltuini
17) VIII 23049 a Uppennae in Byzacena
18) VI 11514, 12675, 22647 Romae
Di 2810 E, 3903 A, 4013 B, 4574 Romae
Di 2921 Romae, periit, a. 431
X 5939 Anagniae
VIII 24450 Djebel Djellud
XII 4247 Baeterris
19) Di 2572 Romae
20) Di 2553 adn. Romae
VIII 14125 Carthagine

dissimilatione excidisse forsitan dixerit quispiam. Sed cum saepius in aliis quoque vocibus („battuo" > „batto", „futuo" > „futto", „mortuus" > „mortus", „Februarius" > „Febrarius" [21]) „u" vocalis post complures consonas [22]) ante vocalem elisa illam explicationem non permittat, hic quoque concedemus „u" > „u̯" mutatam et propter difficultatem pronuntiandi compluribus consonis praecedentibus elisam [23]) vel illis assimilatam esse [24]).

quattur, quatur: Alia forma bisyllaba est quattur [25]), quatur [26]), fortasse e „quattor", „quator" orta [27]). In linguis Romanensibus excepta Sarda [28]) vocalis inter „t" et „r" elisa est: „quattuor" > „quatuor" > „quator" > „quatur" > „*quatr", postea exitus Romanenses adiciuntur [29]).

quateuor, quatiuo[r]: Etiam anaptyxis vocalium litteris „t" et „u" concurrentibus oriri potest, quateuor [30]), quatiuo[r] [31]).

quartuor: Anticipatione consonantis „r" et vi ordinalis „quartus" quartuor [32]) formatum est.

C. De syntaxi

bis binos: „Bis duo" [33]) vel „duo bis" pro „quattuor" in inscriptionibus non occurrit, sed occurrit bis binos [34]) praecipue in carminibus epigraphicis.

bis quattuor: Pro numero „octo" bis quattuor legimus in versu sepulcrali „ter morior denos et post bis quattuor annos" (CE 673,2 Romae).

D. De re metrica

quattu̯or: Numerale „quattuor" bisyllabe [35]) legitur in tribus carminibus: „huic uite finis in ipsis ter senis misero et quattuor

---

21) Lindsay II § 54
22) cf. Di III p. 293
23) cf. „quattordecim"
24) Meyer-Lübke I § 501, 503
25) Di 2612 adn. = Di 2952 A adn. Romae
26) Di 4400 B Romae, periit, a. 399.
27) Gloss. Amplon. 370, 4: „quattur" non est Latinum, sed „quattuor"
28) „battoro"
29) „-e", „-o", „-u"
30) Di 4578 adn. Romae
31) X 4428 Capuae
32) VI 13146 Romae
33) cf. Chalcid. 33 „bis duo quattuor"; „bis duo bis, quod est octo"
34) VI 28239 Romae
CE 447, 1 Mutinae
III 2616 = CE 644, 4 prope Salonas
CE 2149, 3 Ammaedarae Byzacenae
35) Ritschl opp. III p. 638 adn., 650 adn.; Lachmann zu Lucr. III 917 cf. Enn. ann. 93, 593

paene peractis annis acerua fuit“[36]), „iste quater denis et quattuor mensibus annis i(a)m vixi[t]“[37]) „cum quattuor decimos complesset nobilis annos“[38]).

De numerali „quinque“

A. De orthographia

cuinque: Numerale cardinale „quinque“ „cui-“ litteris pro „qui-“ incisum semel invenimus: cuinque[1]). Formas a „qi-“ et „ci-“ incipientes sub „sonis ac litteris“ tracto.

qe; cinqu., quinq., quin.: Unum compendium inveni: q(uinqu)e[2]), complures suspensiones: cinqu. (Inscr. Hisp. chr. 22 prope Emeritam, periit, a. 566) quinq.[3]), quin.[4]); cf. „vin“ quoque.

ruinrue: Error quadratarii ruinrue est. Lapicida in una littera in ordine litterarum peccavit.

B. De sonis ac litteris

vin.: Forma vin[6]) (inscr. $\frac{v}{v}$ VIN), cuius soni gutturales perierunt, occurrit in titulo, cuius verba et numeri perturbata sunt. „Vin.“ suspensio pro „*vinve“ est, cui formae „vinveniu“[7]) quoque pro „quinquennium“ comparare possumus.

cinque, cinquae, cinqe, cinqu.: Saepius „quinque“ dissimilatione prioris „qu“ nihil servavit nisi sonum gutturalem: cinque[8]), cinquae[9]), cinqe[10]), cinqu.[11]). Quam dissimilationem pervulgatissimam fuisse in sermone plebeio non modo exempla satis

---

36) III 6414 = CE 588, 2 ss. prope Scardonam Delmatiae
37) VII 14352 = CE 528, 3 s. non procul ab Uzali Africae
38) Gsell I 2240 = CE 1969, 6 Madauris
1) V 1694 Belignae prope Aquileiam, periit
2) Di 3439, 3 Viennae
3) VI 29262 Roma
4) Di 2973 B adn. Romae, periit
5) XIII 2377 Luguduni
6) VI 9317 Romae
7) VIII 14199 Carthagine
8) VI 16119, 24238 Romae
Di 3048 B a Romae
Di 4580 in vico, qui nominatur Rocca di Papa
X 5939 Anagniae
X 7172 Syracusis
V 8737 Concordiae, saec. V in.
V 8758 Concordiae
VIII 24387 Djebel Djellud
Inscr. Hisp. chr. 22 prope Emeritam Lusitaniae, periit, a. 566
9) VI 17508 Romae
10) VIII 23586 Mactari
11) Inscr. Hisp. chr. 22 prope Emeritam, periit, a. 566

crebra ipsius latinitatis[12]), sed etiam linguarum Romanensium consensus[13]) testantur.

ceqe: Forma ceqe[14]) ex „quinque" ita videtur orta esse, ut „n" gutturalis scriptura aut pronuntiatione exciderit; „ī" autem vocalis, quam longam esse demonstrant linguae Romanenses[15]), cum „ē" locum permutavit, cuius rei exempla collegit Hoffmann[16]), et „q" posterior, nisi „q" idem quod „qu" pronuntiando valuit, post dissimilationem prioris „qu" effectam priori gutturali assimilata est. Sed etiam analogia ad „sex", „septe", „dece" eam formam efficere potuit. Syllabam priorem posteriori adaequatam esse minus verisimile est. Vocalis radicis formae Indogermanicae „*penque" servata esse non potest.

qunque: Interdum „i" eliditur, ita ut „u" labialis sonans fiat et accentum ferat: qunque[17]).

quique, quiquae, qiqε: Nasales saepe omittuntur, et id plerumque ante „d", „t", „s" litteras, sed etiam ante „q", cuius rei exempla haec sunt: „secudus", „cotra", „mesero", „iquirant", „reliquat", „coquiescit"[18]); numeri „quinque" quique[19]), quiquae[20]), qiqε[21]). Lingua „i" formandi causa tam laxe dentibus se acclinabat, ut dubium esset, consonans „n" utrum littera exprimenda esset necne.

quinqe, cinqe, qiqε: Eodem modo ac labialis prior etiam sonus labialis posterior dissimilatione excidere potest: quinqe[22]), cinqe[23]), qiqε[24]).

quinquae, cinquae, quiquae: In titulis Latinis et codicibus medii aevi in exitu genetivi et dativi numeri singularis et nominativi numeri pluralis primae declinationis pro „-ae" saepe „-e" scribitur; cf. Arminius Bindel: De declinatione Latina titulorum quaestiones selectae, Diss. Jenae 1912 p. 26—29, 36—45; Albertus Hehl: Die Formen der lateinischen Ersten Deklination in den Inschriften, Diss. Tübingen 1912 p. 14 s., 31—34, 40. Non solum scriptura, sed etiam pronuntiatione dipthongum in monopthongum mutatam esse putamus. Quomodo, cum in codicibus et titulis posterioribus „-ae" et „-e" saepe in unum sonum „-e" confunderentur, etiam ex contrario „-ae" pro „-e" scribi et enuntiari potuit. Exempla numeri „quinque" sunt

---

12) Schuchardt II p. 484
13) Meyer-Lübke I § 3, II § 559
14) VIII 12200 Sidi Amara in Byzacena
15) Meyer-Lübke I § 30 s.
16) p. 56 s.
17) Di 4253 A Romae („qunque")
Di 3101 E Catinae (ibid. „quinque")
IV 7099 Pompeis
18) Schuchardt I p. 107, Corssen 1 p. 261, Seelmann p. 283 ss.
19) Di 4131, 4859 (iud.) Romae
VI 25961 Romae
X 4407 Capuae
20) Di 2713 A adn. Romae
21) XIII 2430 Luguduni
22) Di 1424 D adn. Emeritae, a. 517
23) VIII 23586 Mactari
24) XIII 2430 Luguduni

quinquae[25]), cinquae[26]), quiquae[27]). Alia exempla Seelmann[28]) collegit.

quinqui: Exitum „-e" pronuntiatione interdum in „-i" transire posse forma quinqui[29]) videmus. Haud scio an confusio „e" et „i" vocalium in fine vocabuli iis substantivis tertiae declinationis orta sit, quorum casus ablativus numeri singularis et in „e" et in „i" exire potest. Analogiam ad „viginti" eam formam effecisse minus verisimile est quam ad numeralia „undeci", „duodeci". Ordo quoque vocalium „i" — „e" in „i" — „i" assimilari potuit. Sed ne analogia quidem linguae Graecae (πέντε) neglegenda est.

quinquem: Forma quinquem[30]) secundum „septem" et „decem"[31]) figurata est.

C. De syntaxi

ter quinque: Cardinale „quinque" cum adverbio numerali „ter" coniunctum pro „quindecim" legimus in carmine epigraphico: „nunc Ianuaria iaces annos ter quinque sepulta"[32]).

quinque et bis: Dictio mira „quinque et bis" pro „bis quinque" pro „decem" in titulo quodam Romano occurrit: „culmen apostolicum quinq. et bis mensibus annis rexit"[33]). Cui versui Rossi hanc explicationem addidit: „Bonifatio adsignantur pontificatus anni quinque, menses decem." At Bonifatium ab anno 418 usque ad annum 422 sedisse notum est.

D. De re metrica

quīnque: Syllaba prior in carminibus producta, posterior correpta est. Non solum positione, sed etiam natura syllabam priorem productam esse inter omnes constat. Cardinale „quīnque" analogiam ordinalis vetusti „quīnctus" secutum est, cuius consonantibus „nct" effectum est, ut „i" produceretur[34]). Vocalem radicis numeralis Indogermanici „*penque" aeque ac Graeci πέντε correptam esse notum est.

quinqu(e) in elisione: Ante vocalem vel „h" vocalis exiens „e" eliditur, veluti „quinque etenim solos annos vixisse fate-

---

25) VI 8455 Romae
Di 3780 Romae
Di 1527 Fori Sempronii in Umbria
26) VI 17508 Romae
27) Di 2713 A adn. Romae
28) p. 183
29) XIII 2412 Luguduni
30) III 9585 Salonis
31) Diehl: De M finali epigraphica p. 191
32) CE 2126, 3 Romae
33) Rossi: Inscr. christ. urb. Rom. II p. 129, 10, 19 s., a. 625
34) „quīnto" cum „i" longa: IX 5191 = I² 1911 Asculi; cf. Christiansen: De apicibus et i longa in inscriptionibus Latinis, Diss. Kiel 1889 p. 46

bor"[35]) „cum iam bis senos explesset floridus annos, quinque etiam menses numero superante dierum viveret innocuus"[36]), „egi annos quinque et septuaginta"[37]), „quinque hic annorum aetatis conditur infans"[38]).

qe: Etsi compendium „qe" adhibitum est, tamen „q(uinqu)e" bisyllabe metiri debemus: „annorum triu fuit, mensibus q(uinqu)e"[39]).

De numerali „sex"

A. De orthographia

Cum „x" littera consonans duplex pereiperetur, saepe litteris duabus „xs", „xx", „cx" sim. scribebatur (Leumann § 11 p. 50). Scripturam „sexs"[1]) saepe invenimus.

I. De testimoniis grammaticorum veterum

De hac re Caper in libro „De orthographia"[2]) docet: „„Exsul" cum addito „s" scribendum est etymologiae causa, a „solo" quoniam venit". At forma Indogermanica vocabuli „exul" aut „*eksals" (cf. (ἀλάομαι) aut „*eksels" (cf. ἐλάω) est (Walde-Hofmann³ p. 432).

Terentius Scaurus in libro „De orthographia"[3]) dicit: „Peccant qui „nux" et „trux" et „ferox" in novissimam litteram „s" dirigunt, cum alioqui „duplex" sufficiat, quae in se et „s" habet".

---

35) VI 19007 = CE 562, 2 Romae
36) X 5665 = CE 378, 2 ss. Frusinone
37) VIII 26933 = CE 1873, 2 Thuggae
38) III 1228 = CE 567, 1 Apuli Daciae
39) Di 3439, 3 = CE 1407, 3 Viennae
1) I² 1490 = VI 1827 = XIV 3645/6 Tiburi, periit (in eodem titulo „uxsor")
VI 3255, 7808, 7812, 10332, 27813, 28090, 28821, 35626, 36193 Romae
Di 4188 Romae
XIV 2287 in agro Albano
X 846 Pompeis
X 4906 Venafri
X 5500 Aquini
XI 1109 Parmae
V 3082 Patavii
Espérandien 579 Narbone
CE 2106, 3 Narbone, aetate Augusti
VIII 12761 Carthagine
VIII 4524 Zarai
VIII 15205 in oppido Testûr Thignicae
2) Gramm. Lat. VII 95, 16
3) Gramm. Lat. VII 19, 13

II. De titulorum exemplis

sexs: Iam antiquissimis in inscriptionibus „xs" aeque atque in numerali sexs (cf. p. 42) etiam in fine vocabulorum „exs"[4], „felixs"[5], „lexs"[6] occurrit. Persaepe intra vocabulum legitur, e. g. Σέξστος[7], „exsedram"[8], „exscep[tum]"[9], „exseat"[10], „exsegi"[11], „exsigito"[12], „exsigatur"[13], „exsitu"[14], „exsacto"[15], „exsodium"[16], „exstrad"[17], „saxso"[18]. Accedunt undecim exempla perfecti verbi „vivere"[19], duodeviginti substantivi „uxsor"[20]. Non solum e temporibus liberae rei publicae, sed etiam ex aetate imperatoria superiore indices corporis inscriptionum Latinarum permulta exempla exhibent. At aetate christiana in numerali „sexs" „xs" rarius occurrere uno exemplo christiano demonstratur.

B. De sonis ac litteris

ζεξ, ies: „S" prior interdum mollita est, quae res formis ζεξ[21] et ies[22] comprobatur. Figura „ies" pro „zes" scripta est.

xex: „X" iam initio vocabuli anticipata est in forma aetatis christianae xex[23], quae nihil nisi scriptura est pro „sex".

ses, ies: Iam antiquissimis temporibus numerus „*sexcenti" propter difficultatem pronuntiandi in „sescenti" commutatus est. Numerus „sex" demum nonnullis saeculis post Christum natum in „*sess" posteaque in ses[24], ies[22] transiit, cum pars palatalis soni sublestior esset quam „s" consonans. In inscriptionibus etiam formas velut „vissit" pro „vixit" et „Masime" pro „Maximae" legimus[25].

---

[4] I² 2542 in Lucania

[5] I 1 1071 = I² 1347 = VI 23137 Romae (in eodem titulo „exsitu")

[6] I¹ 197 = I² 582, 12 Bantiae, inter a. 133 et 118 a. Chr. (in eodem titulo „exsigito")

[7] I¹ 857 = I² 1051 = VI 8247 Romae

[8] I² 1492 = XIV 3664 Tiburi

[9] I¹ 200 = I² 585, 22 in lege agraria, a. 111 a. Chr. (in eodem titulo „exsigatur")

[10] I² 2520, 43 Romae in tabella plumbea, ca. a. 40 a. Chr.

[11] I² 1218 = VI 21975 Romae (in eodem titulo „vixsi")

[12] I¹ 197 = I² 582, 9 Bantiae inter a. 133 et 118 a Chr. (in eodem titulo „lexs")

[13] I¹ 200 = I² 585, 20. 72 in lege agraria, a. 111 a. Chr. (in eodem titulo „exscep[tum]")

[14] I¹ 1071 = I² 1347 = VI 23137 Romae (in eodem titulo „felixs")

[15] I¹ 1202 = I² 1603 = X 4362 Capuae

[16] I¹ 863 = I² 1058 = VI 8254 Romae

[17] I¹ 196 = I² 581, 28 = X 104 in agro Teurano, a. 186 a. Chr.

[18] I¹ 1012 = I² 1216 = VI 14338 add. p. 3515 Romae (in eodem titulo „vixsi", „vixsere")

[19] „vixsi" ter, „veixsit" bis, „vixsit" quinquies, „vixsere" semel

[20] „uxsor" sedecies, „uxsorei" semel, „uxsori" semel

[21] Di 2300 A Romae

[22] Di 4641 Romae

[23] Di 1578 A adn. Romae

[24] Di 3053 A Romae
Di 4128 C Urbini in Umbria
Di 4402 A Perusiae in Etruria
IX 1383 Aeclani, a. 517

[25] Seelmann p. 353, Leumann § 146 p. 164

s e , s i: „S“ consonantem „e“ vel „i“ anteeunte omitti posse docet Proskauer [26]), ideo s e [27]), s i [28]).

x e s: In forma x e s [29]) aetatis christianae metathesis consonantium subest.

s i x , s i: Linguae Romanenses numeri „sex“ formam primitivam s i x postulant, quam invenimus duobus in titulis [30]). Figura s i [28]) in inscriptione Romana medici cuiusdam Africani, cui nomen est Miggin, occurrit, cuius in titulo „i“ saepe pro „e“ incisa est, veluti „minsis si“ pro „menses sex“. Sed „S I“ etiam pro „Ꞩ I“ et id pro „septem“ scriptum esse potest. Formam inter „six“ et „si“ mediam „*sis“, quae „ses“ figurae respondet, in titulis non inveni, sed „siscens.“ [31]) pro „sescentesima“ vel „sescenties“ comparare possumus.

s: Compendium brevissimum S [32]) fortasse pro „Ꞩ“ scriptum est.

C. De syntaxi

s e x i n s e p t e: In dictione „Iusti anorum s e x i n s e p t e“ [33]) Hirschfeld, qui titulum non vidit, „m(ensium)“ pro „in“ praeter necessitatem coniecit. Lapicida puerum sex annos natum septimum inisse aut aetatem vitae accuratam nesciens sex vel septem annos natum esse significare voluit.

b i s s e x: Apud poetas dactylicos, quippe qui „duodecim“ integrum versui adaptare non possent, nisi elisione utebantur, b i s s e x [34]) saepius occurrit, e. g. Enn. ann. 323 („lychnorum lumina bis sex“), Verg. Aen. 9,270 s. („bis sex lectissima matrum corpora“), 11,9 s. („bis sex thoraca . . . perfossum . . . locis“, i. e. „thoraca multis locis, saepe perfossum“), Manil. 3,598 („bis sex mensibus“), Auson. 191,39 („bis sex quinquennia“). Unum exemplum in carmine quodam epigraphico inveni: „(Dalmatius) bis sex scripta tenet praetorisque omne volumen“ [35]), i. e. „edictum perpetuum, quod duodecim tabulae continent“. Etiam in inscriptione christiana non metrica haec dictio partim notata occurrit: „Matinus, q. u. b i s an. VI“ (Di 4583 Urbaniae), i. e. „Matinus, qui vixit bis annos sex“, nisi praeferre volumus explicationem „Matinus, qu(i) bis(it) annos sex“.

t e r s e x: Item t e r s e x semel in carmine epigraphico occurrit: „s [e] x lustr[a] exegit non breve t e r spatium“ [36]). Poeta nonaginta annos sic voluit significare.

---

[26]) p. 165, 169, 179, 184—187
[27]) Di 4737 Romae
[28]) VI 9592 = Di 608 Romae
[29]) Di 2790 A Romae
[30]) VIII 28054 K'siba M'rau
[31]) Di 1428 prope Emeritam Lusitaniae, periit, a. 566.
[32]) Di 3051 C, 4581 Romae
Rev. arch. 1906 II p. 476 Mactari
[33]) XII 2198 inter Viennam et Gratianopolim
[34]) Thes. II 2009, 3 ss.
[35]) DE 8987, 3 = CE 2046, 3 inter Mursam et Sopianas Pannoniae
[36]) XII 2660 = CE 1366,8 Albae Helviae

bis ter: Ad numerale „sex“ significandum bis et ter inter se multiplicantur: „ter decies bis terq. simul transegerat annos“ [37]), cui versui Buecheler hanc adnotationem adiecit: „perplexum numeri indicium et captiosum, magis XXXVI puto quam XXXII.“

bis ternos: In tribus carminibus epigraphicis „sex“ adverbio bis cum distributivo ternos multiplicato exprimitur: „bis ternos annos vix(it) et mensibus (quinque)“ [38]), „nóndum bis ternós aetas compleverat annós“ [39]), „vita fuit bis ternos menses et insuper unus“ [40]) (cf. „septem“).

ter binos, ter binas: Multiplicatio inversa ter binos sive ter binas bis occurrit: „necdum ter binos crescens attigeras annos“ [41]), „ter binas hiemes festina luce peregit“ [42]).

duo et quaternos: Cardinale „duo“ et distributivum „quaterni“ inter se adduntur in versu „duo et quaternos vite conpleverat annos“ [43]).

De numerali „septem“ (cf. „September“)

A. De orthographia

septē: compendio septē [1]) lapicida semel usus est.

seppte: Consonans „p“ geminata est in seppte [2]) (cf. „Sepptimus“).

sertem: In forma sertem [3]) quadratarius hastam obliquam errore addidit.

B. De sonis ac litteris

nepte: Formam nepte [4]) secundum „nove“ puto formatam esse ut „Noctobres“ ad „Novembres“. Similem permutationem non similitudine litterarum, sed analogia effectam in pronominibus invenimus: in titulo quodam Tomitano (CIL III 7584) „nestris“ pro „nostris“ secundum „vestris“ incisum est: „ip(si) vivite parentes et nestris pr[ofun]d[ite Man]is“. Eandem formam in inscriptione quadam Macedonica (CIL III 14406 a = CE 1878,6 Heraclea Lyncestide Macedoniae) legimus: „resta viator et lege titulo nestro“.

---

37) V p. 617, 7 = CE 1437, 3 Mediolanii
38) VI 15897 = CE 459, 1 Romae
39) Not. scav. 1904 p. 437 Romae in columbario
40) XIV 1821 = CE 563, 4 Ostiae
41) CE 1380, 3 Emeritae, a. 549
42) CE 612, 1 Romae
43) XI 5796 = CE 1822, 3 Sentini
1) XIII 905 Burdigalae, periit, a. 643
2) XIV 3344 Praeneste
3) Di 4006 C adn. Romae
4) Di 4220 B Neapoli

siptim: Prior syllaba vocalem „e“ in „i“ mutavit, item posterior: siptim[5]). Haud scio an syllaba posterior secundum ordinale „septimus“ et numeros compositos „undecim“ sim. formata sit posteaque etiam „e“ vocalis syllabae prioris assimilatione in „i“ transierit[6]).

sefte: Consonantem tenuem in aspiratam transire in forma sefte[7]) videmus[8]).

set.: Omnes linguae Romanenses excepta Valachica „pt“ > „tt“ assimilaverunt[9]); in titulis autem tantummodo compendium set.[10]) inveni. Sed formas „Settembres“[11]), „Sette.“[12]), „Seten(bres)“[13]), „Setebris“[14]), „Setebes“[15]), „Set.“[16]) comparare possumus.

sεpitε: Anaptyxis vocalium inprimis ante sonos liquidos occurrit, sed etiam ante alias consonantes, quod demonstratur numerali sεpitε[17]). In eodem titulo formam „novε“ legimus.

septim: Cardinale septim[18]) secundum ordinale „septimus“ et numeros compositos „undecim“ sim. formatum est[19]); cf. „siptim“.

septe, σεπτε: Cardinale septe[20]) ad analogiam numeri „quinque“ figuratum esse Diehl in dissertatione „De M finali epi-

---

5) Di 645 adn. Romae, a. 386
6) cf. „Sip(tembr-)“
7) Di 3057 Romae, a. 335
8) Seelmann p. 294 s.
9) Meyer-Lübke I § 458
10) Di 4580 in vico, qui nominatur Rocca di Papa
11) XI 5021 Trebiis in Umbria, a. 514
12) Rev. arch. 1906 II p. 476 Carthagine
13) Di 2794 Aceuchal, a. 462
14) Di 3756 Romae
15) Di 2952 C Romae
16) Di 3889 D in vico, cui nomen est Montepolitiano in Etruria
17) Di 4011 Urbaniae in Campania
18) XIII 1855 Luguduni, periit
19) cf. „Septimontium“ al.
20) VI 142, 10494, 12608 (periit), 28916, 30126 Romae
Di 2588 adn. (ibid. „quinque“), 2611 C adn., 2687 A adn., 3375 A, 4004 B adn., 4019 A adn., 4211, 4259, 4594 Romae
Di 645 Romae, a. 269 („dece et septe“)
Di 4634 A adn. Romae, a. 343
Di 3822 Romae, a. 394
Di 808 B Romae, a. 408
XIV 2148 Ariciae
X 2808 Puteolis
X 5620 Fabrateriae Novae (ibid. „nove“)
X 7152 Syracusis
X 7333 Panormi
XI 6417 Pisauri
V 1646 Aquileiae
Di 3527 C adn. Dertonae, a. 434
VIII 8639 Sitifi, a. 405
VIII 16752 Tinfadi in provincia proconsulari
VIII 21479 Sufasar in Mauretania Caesariensi, a. 318
VIII 23586 Mactari in provincia Byzacena (ibid. „qindeci“, „cinque“)
Di 2653 Hadrumeti in provincia Byzacena (ibid. „dece“)
VIII 25351 Carthagine
Di 222 a Zaharae in provincia Gaditana, a. 542
Di 2552 E Thabracae in Numidia

graphica“ [21]) demonstrat. In nulla linguarum Romanensium „m“ numeri „septem“ conservata est. Formam correptam omnibus in regionibus imperii Romani saeculo tertio, quarto, quinto, sexto, septimo scriptam esse titulis cognoscere possumus. Scriptura quoque Graeca σεπτε [22]) notanda est. De formis littera „m“ carentibus „seppte“, „sefte“, „sεpitε“ iam in paginis 45 et 46 egi (cf. septer[esmon]“ in Col. rostr.)

C. De syntaxi

s e x i n s e p t e: Dictionem „Iusti anorum s e x i n s e p t e“ [23]) iam in pagina 44 tractavi.

b i s s e p t e m: Aeque ac „duodecim“ integrum etiam „quattuordecim“ versui dactylico aptari non potest. Itaque apud Vergilium [24]) in Aen. 1,71 „bis septem nymphae“ et 9,159 „bis septem Rutuli“ legimus. Etiam Plinius quamvis prosam orationem scribens in Hist. nat. 18,231 ea dictione usus est. In titulis haec exempla inveni: „b i s s e p t e m lustris octavo functus et anno“ [25]) et „nondum b i s s e p t e m plenis praerepta sub annis“ [26]).

b i s t e r n o s e t i n s u p e r u n u s: Ad „septem“ exprimendum modus multiplicandi et addendi adhibetur in versu „vita fuit b i s t e r n o s menses e t i n s u p e r u n u s et totidem anni“ [27]).

D. De re metrica

Formam s e p t e in carminibus epigraphicis semel inveni: „[ann]os s e p t e et dece nat[us]“ [28]). Certum est „septe“ fuisse in versu „[annos] dece menses s e p [t e dies]que sedece plenos [tu]lit [29]); cf.

Di 3645 D Madauris in Numidia
II 4331 Tarracone
Di 1302 prope Toletum, periit, saec. VI
XII 488 Massiliae
XII 1146 Aptae
XII 2198 inter Viennam et Gratianopolim
XII 4503 Narbone
XIII 1508 in agro Arvernorum (ibid. „quinque“)
XIII 2412 Luguduni (ibid. „quinqui“)
Nouv. rec. 2 prope Lugudunum, saec. VI („dece septe“)
Nouv. rec. 224 in Aquitania (ibid. „quinque“)
XIII 5463 prope Dibionem, saec. VI („dece septe“)
XIII 7813 Rigomagi in Germania inferiore
III 2233 Salonis („dece septe“, ibid. „undecim“, „duodecim“)
III 7582 Tomis in Moesia inferiore

[21]) p. 191
[22]) Di 4470 Romae
[23]) XII 2198 inter Viennam et Gratianopolim
[24]) Thes. II 2009
[25]) VI 32049, 10 = CE 702, 10 Romae, a. 528
[26]) XI 4866 = CE 1167,3 Spoleti
[27]) XIV 1821 = CE 563,4 s. Ostiae
[28]) VI 30126 = CE 1671,6 Romae
[29]) X 3148 = CE 1826,1 Puteolis

numerale „septendecim". Aeque atque in ceteris vocabulis in „m" exeuntibus etiam in „septem" „-em" ante vocalem eliditur, veluti „cum menses septem et denos ter vixeris annos"[30].

De numerali „octo"[1] (cf. „October")

A. De orthographia

ὀκτο: In titulo Latino litteris Graecis scripto forma ὀκτο[2] notanda est. Qua ex scriptura syllabam posteriorem correptam esse colligere non possumus, cum aliis quoque in vocabulis „ō" vocalis Latina producta „ο" littera Graeca reddita sit, veluti „φιλιο βενεμερεντι", quamquam etiam „ω" adhibetur, exempli gratia „ἀννωρου".

B. De sonis ac litteris

hocto: Forma hocto[3] maxime occurrit in titulis Gallicis, in lingua enim posteriore Galliae huius numeri forma est „huit"[4]) Origo huius formae mea quidem sententia Celtica est, non Graeca, quamquam in tabulis Heracleensibus numeralia „ὀκτώ"[5], „ἐνενήκοντα" occurrunt, quae ad analogiam numerorum antecedentium „ἕξ", „ἑπτά" formata sunt. Similiter equites Hungarici „Husaren", Tartarici „Ulanen" in lingua Germanica hodierna interdum „Husaren-Hulanen" appellantur. De aspiratione Pompeius in „Commento" in capite „de barbarismo"[6] haec dicit: „aut certe quo modo addis aspirationem? si velis dicere „homnia" pro eo quod est omnia". Similiter Consentius in „Arte" in capite „de barbarismis et metaplasmis"[7] docet: „diximus per adiectionem litterae . . ., syllabae . . ., accentus . . ., aspirationis sic fit, ut siquis „homen" scribens adiciat primae syllabae aspirationem."

oto: Semel legimus oto[8], qua in forma „ct" consonantes in „tt" assimilatae sunt; „t" geminata simpliciter scripta est. Comparare possumus „deceotto"[9], „otto"[10], „Ottobres"[11]. Lingua Italiana et

---

[30]) CE 1985 Madauris

[1]) cf. „octipes", „octiformis". „octennis"

[2]) Di 4500 Romae; cf. Eckinger p. 53

[3]) Di 2629 Romae, a. 366
XII 2078 Viennae, a. 536
XIII 2356 Luguduni, a. 448
XIII 3512 apud Ambianos in Gallia Belgica, periit, saec. VII

[4]) cf. „hoctavus", „Hoctavius"

[5]) Diehl: De „M" finali epigraphica p. 194

[6]) Gramm. Lat. V 285, 26

[7]) Gramm. Lat. V 391,33. 392,6

[8]) VIII 23566 Mactari in provincia Byzacena; cf. Rev. arch. 1906 II p. 476

[9]) Di 4002 A Romae

[10]) Schuchardt I p. 135

[11]) Di 2999 c Romae
XI 2537 Clusii in Etruria, saec. III

Raetica hac assimilatione[12] utuntur. De geminatione litterarum ut in „oto" simpliciter scripta Pompeius in „Commento" in capite „de barbarismo"[13] haec dicit: „Omnis barbarismus fit modis duobus, aut pronuntiatu aut scriptu: pronuntiatu, si addas litteram vel detrahas; addas, si dicas „relliquias" pro „reliquias"; detrahas, si dicas „Porsena" pro eo quod est „Porsenna" . . . barbarismus fit scriptu quattuor modis, adiectione detractione inmutatione transmutatione: adiectione, si addas, puta „relliquias"; detractione, si minuas, ut „Porsena" . . .". Similiter Consentius in „Arte" in capite „de barbarismis et metaplasmis"[14] docet: „per detractionem fiunt barbarismi sic: litterae, ut siquis dicat „vilam" pro „villam", „mile" pro „mille"."

C. De syntaxi

bis quattuor: Pro numero „octo" bis quattuor legimus in versu sepulcrali: „ter morior denos et post bis quattuor annos"[15].

binos quater: Alio quoque modo „octo" exprimi potest: „ter denos aevo binosque quater attulit annos"[16].

bis octo: In carminibus epigraphicis bis octo pro „sedecim" occurrit: „bis octo in annis hoce sub tumulo iacet"[17] et „nupta bis octo per annos"[18].

D. De re metrica

octŏ: Syllaba posterior in carminibus interdum correpta est, veluti „octo puer Titius proles cito rapta Philippus"[19], „et quartum mensem restantibus octo diebus"[20], „annoru[m] . . . et octo fui"[21], comes tibi se lustra per octo dedit"[22], „et nupta bis octo annos"[18].

oct(o): Vocalis posterior ante vocalem eliditur, e. g. „bis octo in annis hoce sub tumulo iacet"[17].

De numerali „novem"[1] (cf. „November")

A. De orthographia

no.: Compendium no.[2] pro „novem" uno in titulo occurrit (cf. p. 80).

---

12) Meyer-Lübke I § 459; Schuchardt I p. 135; Corssen I p. 42 s.
13) Gramm. Lat. V 284, 29. 285, 9
14) Gramm. Lat. V 392, 7
15) CE 673,2 Romae
16) V 6202 = CE 740,2 Mediolanii, periit
17) XI 6246 = CE 104, 2 Fani Fortunae
18) III 3572 = CE 558,3 Aquinci
19) VI 10131 = CE 1282,5 Romae
20) CE 1991,4 Romae, saec. II in.
21) CE 1221,3 in via Salaria
22) XIII 128 = CE 2099,21 s. = Di 391,21 s. Valentinae, saec. V
1) cf. „novennis"
2) X 4614 Caiatiae, periit, a. 554

n.: Haud scio an littera n [3]) pro „novem“ incisa sit in inscriptione Africana. Sed hic littera „N“ etiam pro „IV“ = „quattuor“ scripta esse potest, cum hoc in titulo ceteri omnes numeri notis expressi sint.

B. De sonis ac litteris

n o b e m: Soni „v“ et „b“ inde a saeculo post Christum natum tertio promiscue scribebantur et enuntiabantur. Grammatici Latini hanc loquendi indiligentiam permultis locis impugnaverunt, sed frustra, ut titulis demonstratur. Adamantius sive Martyrius [4]) librum „De „b“ muta et „v“ vocali“ a Cassiodorio adhibitum scripsit. Complura testimonia grammaticorum de betacismo [5]), ut ita dicam, eligo: Consentius in „Arte“ in capite „de barbarismis et metaplasmis“ [6]) dicit: „per immutationem fiunt barbarismi sic: litterae, ut siquis dicat „bobis“ pro „vobis“ . . .“. Albinus in „Orthographia“ [7]) docet: „„Bibo“ a „potu“ per duo „b“ et facit „bibi“ praeteritum, „vivo“ a „vita“ per duo „v“ et facit praeteritum „vixi“, et ambo consonantes“. Betacismo numerus „novem“ interdum in n o b e m [8]) mutatus est.

n o b e n q u e: Priscianus in „Institutionibus“ [9]) „m“ maxime „d“ vel „t“ vel „c“ vel „q“ sequentibus in „n“ transire posse docet. N o b e n q u e [10]) pro „nobemque“ semel reperimus.

n o v e, n o b e: Ut „septe“, ita etiam formae n o v e [11]), n o b e [12])

---

[3]) Di 2678 Thenae in Byzacena
[4]) Gramm. Lat. VII 165—199
[5]) Lindsay II § 52, Grandgent § 318, Seelmann p. 239 s.
[6]) Gramm. Lat. V 392,14
[7]) Gramm. Lat. VII 298,16
[8]) VI 19009 Romae
Di 3515 Romae
Di 1819 = CE 322,6 in Callaecia a. 661; cf. Di III p. 559
[9]) Gramm. Lat. II 29,16
[10]) Di 1515 A Romae, saec. IV
[11]) VI 11590, 14079 Romae
Di 2686 A, 3004 A, 3010, 3535, 3999 adn., 4585 Romae
Di 2792 Tusculi in Latio (ibid. „dece“, „undeci“), a. 404
X 947*9 Velitris = Di 2708 adn. (CIL „novem“, Di „nove“, sequitur „mater“)
X 5620 Fabrateriae Novae
XI 2948 Volcis
XI 3571 Centum Cellis
XI 4045 prope Rignano, a. 403
XI 6297 = I[1] 178 = I[2] 375 Pisauri
VIII 21426 Caesareae Maurorum
XIII 3682 Treveris (cf. Nouv. rec. 38) bis
XIII 11032 Burdigalae
[12]) Di 2940 A Romae, a. 350 (ter)
Di 4146 E Romae, a. 395
Di 3316 Romae
Di 3180 Romae, periit
Not. scav. 1924 p. 112 Caralibus in Sardinia
V 1652 Aquileiae, a. 434, periit
V suppl. Ital. 344 Belignae prope Aquileiam
VIII 23053 in Uppennae
Di 1349 A prope El-Djem

ad analogiam numeri „quinque“ figuratae sunt[13]. Notatione digna est scriptura „novε“[14].

novim: Cardinale novim[15] secundum „undecim“ sim. formatum est.

C. De syntaxi

ter ternos: Pro „novem“ semel in carmine epigraphico ter ternos inveni: „hic sum sepulta, exorta genere regio ter denos annos et ter ternos functa cur[a] bonarum feminarum“[16]. Auctor tituli numerum „undequadraginta“ exprimere voluit. Compositiones „decenobem“, „dece et novem“, „dece et nove“, „viginti et nove“, „biginti nobe“, „triginta nobe“ sub „undeviginti“ tractabo.

nobem pro nona: In titulo quodam Hispano, cuius numeralia complures difficultates continent, cardinale „nobem“ pro ordinali „nona“ incisum est: „sexcentum decies era nonagesima nobem“[17].

D. De re metrica

nōbem: Semel in versu hexametro „nobem“ ictum habet in syllaba priore, itaque „o“ producta est: „sexcentum decies era nonagesima nobem“[17]. Formas „nove“, „nobe“ in carminibus epigraphicis non inveni.

nōvēm: Notae, quas lapis praebet in versu hexametro „quae vixit annos IX et XI menses“ (CE 656,14 Rosuae) in „nōvēm“ elisione neglecta et „undeci“ „m“ finali omissa dissolvendae sunt.

De numerali „decem“[1] (cf. „December“)

A. De orthographia

dececem: Dittographia subest in dececem[2] ut in „treres“.

decer: In forma decer[3] littera „r“ vocabuli sequentis „peractos“ praesumpta est.

---

[13]) Diehl: De M finali epigraphica p. 191

[14]) Di 4011 Urbaniae in Campania (ibid. „sεpitε“)

[15]) VI 25058 Romae

[16]) VIII suppl. 16159 = CE 1554,7 ss. non procul a Sicca Veneria

[17]) CE 322,6 = Di 1819,6 in Callaeciae regione quadam, a. 661 (CE et Di I „novem“, sed Di III in indice p. 559 „nobem“ bis)

[1]) Thes. V 124, cf. „deciformis“

[2]) V 8775 Concordiae

[3]) Di 4164 = CE 678, 4 Romae, a. 398

B. De sonis ac litteris

decim[4]): Numerus decim[5]) aut secundum „decimus" aut secundum „undecim" sim. formatus est; exempla inprimis Gallica sunt. Rarius in libris manuscriptis traditur[6]). De differentia formarum „decem" et „decim" Velius Longus in libro „De orthographia"[7]) haec dicit: „. . . „decem" (non „decim") audacius dixerim, quamvis inde „decies" trahatur, quoniam, ut supra dixi, sono usitatiore gaudet auditus."

dece[8]): Cardinale dece[9]) ut „septe" et „nove" secundum „quinque" formatum esse demonstrat Diehl in dissertatione „De M finali epigraphica"[10]). „Dece" etiam in compositionibus occurrit, exempli gratia „decesepte"[11]), „dece et septe"[12]), „decemilia"[13]). In Itala „dece" semel legitur[14]).

C. De syntaxi

bis quinos: Pro „decem" forma multiplicativa bis quinos quater in carminibus epigraphicis occurrit: „invida sors fati rapuisti

---

4) cf. ital. „dieci", Lindsay II § 8
5) VI 30531 a Romae
V p. 618,10 Mediolanii
XII 942 Arelate = CE 667,5, saec. IV
XII 2703 = CE 764,3 in agro Albensi Helvorum, saec. VI
XIII 1855 Luguduni, periit (ibid. „septim", „novem")
6) Itala gen. 31,7; Cypr. Gall. iud. 162, 190, 310
7) Gramm. Lat. VII 76, 10
8) cf. val. „zece", Grandgent § 309
9) VI 23629, 30126 Romae
Di 2272, 2790 A (ibid. „decem", „novem"), 2817 C, 2820 A, 2999 A, 3096 A, 3894 A (sequitur „menses"), 4375 Romae
XIV 1646 Ostiae (bis)
Di 2792 Tusculi (ibid. „undeci", „nove")
IX 2272 Telesiae
X 3142, 3148 Puteolis
Di 2936 A Syracusis, a. 418
Di 4580 in vico, qui nominatur Rocca di Papa (ibid. „cinque")
VIII 22840 Taparurae Byzacenorum
VIII 23049 a Uppennae in provincia Byzacena
Di 2653 Hadrumeti in provincia Byzacena (ibid. „septe")
VIII 24510 Djebel Djellud in provincia proconsulari
VIII 27918 Theveste
VIII 24787 Carthagine
XII 937 Arelate, a. 531.
XIII 5463 prope Dibionem, saec. VI
Nouv. rec. 2 prope Lugudunum
III p. 961 Tragurii in Dalmatia
Rev. arch. 1923 II p. 386 Djemilae
10) p. 191 ss., cf. „Deceber"
11) XIII 5463 prope Dibionem, saec. VI
Nouv. rec. 2 prope Lugudunum
III 2233 = Di 3633 Salonis
12) Di 645 Romae, a. 279
13) III p. 961 Tragurii
14) Itala exod. 26, 9

Vitalem, sanctam puellam, bis quinos annos"[15]), „quem bis quinos ducentem luminis annos"[16]), „bis quinos annos mensesque duos, duo soles"[17]), „hanc post bis quinos sequitur Piruntia mater annos"[18]).

bis decem: „Decem" adverbio „bis" multiplicatum pro „viginti" uno in titulo inveni: „[vix quom ess]et bis decem anneis nata, indigniter"[19]).

geminos decim: Dictio rara geminos decim pro „bis decem" pro „viginti" semel in carmine epigraphico occurrit: „triginta et geminos decim vix reddidit annos"[20]). Tituli auctor „quinquaginta annos" significare voluit.

„decem" pro „decimus": Pro dictione „XV annorum . . . in sexto et decem ascende(n)s"[21]) quadratarius „. . . decimo . . ." incidere debuit.

D. De re metrica

dēcim: Semel in versu hexametro formae „decim" syllabam priorem productam inveni: „triginta et geminos decim vix reddidit annos"[22]).

dece: In carminibus epigraphicis utraque syllaba formae „dece" semper correpta est, veluti „annos aetatis agens sex et dece, mensib. octo"[23]), „[annos] dece menses sep[te dies]que sedece plenos"[24]), „[ann]os septe et dece nat[us]" (VI 30126 = CE 1671,6 Romae).

dec(e): Formae correptae „dece" vocalis „e" posterior ante vocalem eliditur, exempli gratia „annos me post dece et octo vetuerunt visere lumen"[25]).

De numerali „undecim"

A. De sonis ac litteris

undicim: Semel formam [un]dicim[1]) inveni, sed idem titulus „duodecim" praebet. Antiquissimis temporibus latinitatis omnes

---

15) CE 974,1 s. via Latina
16) XIV 3333 = CE 608,2 Praeneste
17) CE 434,3 Pisauri
18) III 2490 = CE 638,3 s. Salonis; cf. CE 451,2
19) VI 25369 = I¹ 1008 = I² 1215 = CE 59,3 s. Romae, saec. I a. Chr.
20) XII 942 add. p. 819 = CE 667,5 Arelate
21) X 5020,4 Venafri
22) XII 942 add. p. 819 = CE 667,5 Arelate; cf. „dēcem" Cypr. Gall. gen. 1118
23) VI 23629 = CE 496,2 Romae
24) X 3148 = CE 1826,1 Puteolis
25) IX 2272 = CE 1523,5 s. Telesiae
1) XIV 1923 Ostiae, saec. II ex.

vocales breves accentu carentes in syllabis apertis positae in „i" mutatae sunt; itaque pro „undecim" secundum regulas linguae Latinae „*undicem" exspectare debemus. Sed hanc legem linguae aetate tituli positi viguisse verisimile non est. In forma „undicim" aut assimilatio vocalium subest aut analogia ad „diunx". Agroecius enim in „Arte de orthographia"[2] dicit: „ „Deuncem" decem uncias dicimus, „diuncem" undecim." De „e" et „i" sonis inter se permutatis grammatici Latini saepe loquuntur et ingentem numerum exemplorum afferunt, maxime Caper. Numerus „undecim" hodie in Italia „undici" appellatur.

undic.: Suspensio formae „undicim" undic.[3]) est.

undecem: Forma undecem[4]) secundum „decem" figurata est.

undeci: Pro „undecim" nonnumquam occurrit forma undeci[5]), cum formae numeralium in „-em", „-im", „-e", „-i" promiscue in usu fuerint[6]). „Undeci", „duodeci" sqq. rursum ad analogiam numeralium „septe", „nove", „dece" formata sunt. Sed etiam „m" finalem omissam infirmitati soni tribuendam esse censere possumus.

undece: Formam „*undece", quam Grandgent[7]) originalem numeralium Romanensium Francogall. et Lusitan. „onze", Hispan. „once" postulat, in inscriptionibus non inveni, sed eam figuram aetate latinitatis vulgaris in usu fuisse numeris sequentibus „duodece", „tredece" sim. manifestum est.

B. De syntaxi

decem et una: Ad analogiam numeri „unus et viginti" vel „viginti unus" numeri iam antiquissimis temporibus cum „decem" copulati separantur: decem et una[8]), quae dictio praecipue in constitutionibus veteranorum occurrit. His similibusque de formis Priscianus in libro „De figuris numerorum"[9]) docet: „. . . „viginti unus" et „viginti una" et „viginti unum". sic deinceps omnibus cardinalibus numeris minores usque ad „novem" adduntur, quamvis contrarium fiat usque ad „sedecim". licet tamen et praepostere, maxime coniunctione interposita, haec proferre, „decem et unum", „decem et duo"."

---

[2]) Gramm. Lat. VII 118,27
[3]) Di 4007 adn. Roma translata in pagum Nucerinum
[4]) XIII 7748 Leutesdorf contra Antunnacum
[5]) VI 28090 Romae (sequitur „m" spatio intermisso)
Di 2687 (ibid. „dodeci"), 2836 B, 3256 E adn., 4002 G adn. („Victoria vixit annu, meses undeci"), 4004 A Romae
Di 2792 Tusculi, a. 404 (ibid. „dece et nove")
V 1666 Aquileiae
VIII 20920 Tipasae in Mauretania Caesariensi
III 13891 (ad 8563) in Dalmatia (ibid. „[dec]e", „septem", „duodecim")
[6]) Diehl: „De M finali epigraphica" p. 191
[7]) § 379 p. 159
[8]) VII 1193,5 Malpasii, a. 103
VII 1194,5 Sydenhami, a. 105
III p. 867,5 prope Weissenburg, a. 107, cf. III p. 2038
[9]) Gramm. Lat. III 412,26

C. De re metrica

„ŭndĕcim" in hiatu aut „undēc(im)" in elisione: In carmine quodam epigraphico Africano hunc versum hexametrum legimus: „undecim et turmas messorum duximus annis"[10]. Numerale aut in hiatu positum „undĕcĭm" aut in elisione „undēc(im)" legere debemus.

undec(i) in elisione: In versibus commaticis, quibus hexametri interpolati sunt, „post undeci annis"[11] legimus; quod numerale versui hexametro adaptandum „undēc(i)" metiendum est, nisi commatice „post úndĕcĭ annis" legere debemus.

undecĭ nota numerali expressum: Quamquam numeri notis expressi sunt, tamen lapicidam „undecĭ" voluisse in versu „quae vixit annos IX et XI menses"[12] censeo. Versus sequens notam XV „quindecĭ" legendam praebet: „XV quoque dies, sic est translata de saeclo."

De numerali „duodecim"[1]

A. De sonis ac litteris

duodecem: Numerus duodecem[2] secundum „decem" formatus est.

duodeci: „M" finalis infirma primum ante vocabula a „m" littera incipientia omitti potuit. Ita in titulo quodam Africano „duodeci modiorum"[3] bis legimus. Idem titulus „quindeci modiorum", sed etiam „decem modios" continet. Aeque atque in „undeci" ante alium quoque sonum littera „m" finalis omitti potest, veluti „[d]uodeci filiorum"[4].

duodece, dodece: Formam „undece" non invenimus, sed duodece[5] bis legitur, semel dodece[8].

dodeci, dodece: Vocales similes, quarum posterior accentum fert, in unam productam coalescere posse Grandgent[6] demonstrat. Contractione vocalium formae dodeci[7], dodece[8] aeque ac „dodecimu"[9] ortae sunt. Linguae Romanenses „dodece" formam originalem postulant. Numerale Graecum δώδεκα comparari potest.

---

10) VIII 11824 = CE 1238,15 Mactari in provincia Byzacena, saec. III; cf. Diehl: „De M finali epigraphica" p. 134
11) V 1666 = CE 1620 4 Aquileiae
12) Di 3458 = CE 656,14 Romae
1) Thes. V 2249, cf. „duodecimus"
2) V 6214 Mediolanii
XIII 3829 Treveris
3) VIII 17896, 37. 38 Thamugadi in Numidia
4) Di 4570 Romae
5) VI 34941 Romae
XII 2083 Viennae, a. 541
6) § 225
7) Di 2687 Romae (ibid. „undeci")
8) XIII 7645 Gondorf in Germania superiore (cf. Nouv. rec. 66)
9) V 1741 Aquileiae

duodecime: Mira forma numeri cardinalis [d]uodecime[10]) est, sed vocalis „e“ errore addita videtur in dictione „vixit ... [dies d]uodecime L. Iulius ...“[11]).

B. De syntaxi

decem duae: Testimonium Prisciani[12]) sub „undecim“ allatum commemoro, qui „decem duo“ permittit. Semel decem duae[13]) in inscriptione quadam Romana legimus. In veteranorum constitutionibus saeculi secundi incipientis „decem et una“, „decem et tres“, „decem et quattuor“, „decem et quinque“, „decem et septem“ occurrunt, neque tamen „decem et duo“, sed „duodecim“[14]).

tres quater: Poetae numerum „duodecim“ variis modis exprimunt; [t]res quater[15]) in titulo quodam mutilato invenimus, qui carmen epigraphicum continuit. Comparari potest dictio Ovidiana „tribus ante quater mensibus“[16]). Apud Ennium dicendi genus simile „ter quattuor“[17]) invenimus.

bis sex: Saepius bis sex[18]) pro „duodecim“ legitur. In inscriptione quadam Pannoniae saeculi quarti vel quinti incipientis invenimus „bis sex scripta tenet praetorisque omne volumen“[19]). Quae dictio iam apud Ennium in „Annalibus“[20]) occurrit.

bis seni, bis senos, bis senas: Adverbium numerale „bis“ cum distributivo „seni“ coniunctum saepissime occurrit. Exempla novem invenimus, e quibus quinque sunt Romana, duo alia Italiana, unum Africanum, unum Narbonense: „bis seni transiere dies, alimenta negantur“[21]), „bis tulit hic senos primaevi germinis annos“[22]), „qui vixit annos bis senos et XVI menses“[23]), „quam bene bis senos florebas, parve, per annos“[24]), „bis senos completam annos te, filia, matri eripuit miserae mortis iniqua dies“[25]), „bis mihi iam senos aetas impleverat annos“[26]), „cum iam bis

---

10) III 8563 in Dalmatia

11) III 13891 in Dalmatia, cf. Diehl: De M finali epigraphica p. 194

12) Gramm. Lat. III 412,26

13) VI 1261a Romae

14) III p. 2038

15) VIII 11292 = CE 1683,3 in agro Capsensi provinciae Byzacenae

16) Ov. trist. 4,10,10

17) Enn. ann. 93

18) Thes. II 2009

19) DE 8987 = CE 2046,3 inter Mursam et Sopianas Pannoniae, saec. IV/V; cf. Di 4583 (Urbaniae): „q. v. an. bis VI“

20) Enn. ann. 323, cf. Verg. Aen. 9,270; 11,9, Manil. 3,598, Auson. 191,39

21) CE 307,6 Romae

22) VI 9437 = CE 403,2 Romae (subscriptum „qui vixit annis XII“)

23) VI 12013 = CE 1568,5 Romae

24) VI 25063 = CE 1549,15 Romae, „bis“ mente supplendum est in versu 11: „illa bis undenos (annos) vixit, natus quoque sénós“

25) VI 30110 = CE 1155 s. Romae

26) IX 1817 = CE 1055,5 Beneventi, periit

senos explesset floridus annos"[27]), „bis senos annos non habuere supra"[28]), „bis senas messes rabido sub sole totondi"[29]).

C. De re metrica

duodeci: Initio versus hexametri mutilati inscriptionis Africanae legimus „ex duodeci numero"[30]). Si syllabam „-ro" quartum versus pedem incipere putaremus, omnes syllabae numeralis producendae essent; quod verisimile non est. Potius „-ro" tertium pedem incipere existimandum est. Quo posito litteram „u" numeri „duodeci" semivocalem „u" legere debemus. Syllaba „-ci" littera „m" finali omissa producenda accentum fert. Montgravier „duodecimo", Buecheler „ex duodeci m(ensum) numero" coniecerunt.

dodeci nota numerali expressum: In carmine epigraphico Romano „XII ego [annoru]m vixi dulcissimae matri"[31]) occurrit. Buecheler „dodeci" legendum esse ad locum adnotavit. Re vera „dodec(im)" enuntiando versu ineunte metro mederi possumus.

De numerali „tredecim"

A. De sonis ac litteris

tredecem: Aeque atque „undecem" et „duodecem" etiam tredecem[1]) secundum „decem" formatum est.

tredeci: In forma tredeci[2]) littera „m" finalis infirma omissa est[3]).

tredece: Figura originalis linguarum Romanensium[4]) tredece[5]) semel occurrit.

B. De syntaxi

decem et tribus: In privilegiis veteranorum dictio decem et tribus[6]) pro „tredecim" invenitur. Etiam apud Ciceronem[7]) et Q. Curtium Rufum[8]) „decem et tres" legimus.

---

27) X 5665 = CE 3782 Frusinone
28) XII 5276 = CE 1073,4 = CE 2119,4 Narbone, saec. I
29) VIII 11824 = CE 1238,13 Mactari in provincia Byzacena, saec. III; cf. Inscr. chr. Hisp. 259
30) VIII 9690 = CE 527,3 Cartennae Mauretaniae
31) VI 14578 = CE 502,3 Romae
1) XIV 1009 Ostiae
XIII 3900 Treveris
2) VI 19004 Romae (sequitur „mens.")
3) cf. Diehl: De M finali epigraphica p. 193
4) Grandgent § 379
5) XII 2701 Albae Helvorum
6) III p. 854,5 Klosterneuburgi, a. 80; cf. III p. 2038
III p. 1963,5 Carnunti, a. 84
7) pro Rosc. Amer. 7,20
8) Alex. 6, 4, 6

una et bis senas: Semel auctor tituli in carmine epigraphico Africano pro „tredecim" circumlocutione copiosa usus est: „una et bis senas turres crescebant in ordine totas"[9].

De numerali „quattuordecim"

A. De sonis ac litteris

quattuordeci: In titulo quodam iudaico formam quattuordeci[1]) littera „m" finali infirma abiecta inveni.

B. De syntaxi

decem et quattuor: Pro „quattuordecim" dictionem decem et quattuor[2]) in privilegio quodam veteranorum Germaniae Superioris invenimus.

bis septem: Apud poetas carminum epigraphicorum dactylicos, quippe qui „quattuordecim" versui aptare non possent, bis septem saepe invenimus, exempli gratia „bis septem lustris octavo functus et anno"[3]), „bis septem placidos ann(os) et adhuc formatus in unum"[4]), „bís septem minus ante dies quam quinque per orbes solis coigenae complerem parvolus annos"[5]), „nondum bis septem plenis praerepta sub annis"[6]), „bis septemque dies vixit"[7]). Apud Vergilium[8]) quoque Pliniumque Maiorem[9]) ea dictio occurrit.

bis septeni, bis septenis, bis septenos, bis septena, septenis bis: Saepius adverbium „bis" et numerale distributivum „septeni" in casus declinatum inter se coniuncta pro „quattuordecim" legimus, veluti „bis hic septeni mecum natales dies tenebris tenentur Ditis aeterna domu"[10]), „bis mihi septenis fínis datus ultimus anní s"[11]), „hic situs in tumulo genitus nomenque Valerius, Antoniaes subules, vixi bis septenos in annis"[12]), „nam bis septenos [tibi], Roma, laboribus annos praestiter[am]"[13]), „nam

---

[9]) VIII 5352 = CE 297,1 Calamae, a. 539
[1]) IX 648 = Di 4893 a Venusiae in Apulia (iud.)
[2]) XIII 6821 Mogontiaci, a. 90
[3]) VI 32049 = CE 702,10 Romae, a. 528
[4]) XIV 510 = CE 1186,10 in insula Tiberina prope Ostiam (cf. XIV 508 et 509, ubi „vix. ann. XIIII")
[5]) X 8131 = CE 428,3 Stabiis, temporibus Hadriani
[6]) XI 4866 = CE 1167 3 Spoleti
[7]) III 10501 = CE 489 6 Aquinci
[8]) Aen. 1,71 („bis septem nymphae"), Aen. 9,159 („bis septem Rutuli")
[9]) nat. hist. 18,231 („bis septem" sc. „diebus")
[10]) I[1] 1009 = I[2] 1214,20 s. = VI 10096 = CE 55,18 s. Romae, temporibus Catulli
[11]) VI 29629 = CE 1067,5 Romae
[12]) CE 646,1 s. prope Tharron in ora Sardiniae
[13]) XI 6125 = CE 986,5 s. Fori Sempronii (praecedit „meruit a. XIIII")

bis septenos cum agerem annos"[14]), „bis mihi septenos aetas ostenderat annos"[15]), „invida Parcarum series livorque malignus bis septena mea ruperunt stamina lucis"[16]), „nóndum septénís bis té perdúxerat aetas"[17]).

De numerali „quindecim"

A. De sonis ac litteris

quindeci: Litteram „m" finalem infirmam facillime ante „m" excidere posse titulo quodam Africano[1]) demonstratur, ubi „quindeci modios", „quindeci modiorum", item „duodeci modiorum", sed etiam „decem modios" legitur. Ante alios quoque sonos (d, i) quindeci[2]) invenitur.

qindeci: Cum qindeci[3]) „qiqε" comparari potest, qua in forma utraque semivocalis „u̯" dissimilatione extincta est.

B. De syntaxi

decemquinque: Pro „quindecim" forma decemquin[que[4]) semel occurrit.

quinque simul decim: In carmine quodam epigraphico saeculi sexti legimus: „primum defl[oruit aevum qui]nque simul decim meruitq[ue annis revolutis] (sc. coronam aeternam)"[5]). „Simul" pro „et" positum est.

decem et quinque: Similiter ac „decem et una", „decem et tribus", „decem et quattuor" etiam decem et quinque[6]) in privilegiis veteranorum occurrit. De forma „decem et quinque" Priscianus in „Institutione grammatica"[7]) dicit: „Δεκαπέντε καὶ πεντεκαίδεκα, nos contra „quindecim" et „decem et quinque"". Apud Curtium[8]) quoque eam dictionem semel invenimus.

ter quinque: Ad numerum „quindecim" significandum cardinale „quinque" adverbio numerali „ter" multiplicari potest, veluti „nunc Ianuaria iaces annos ter quinque sepulta"[9]).

---

14) VIII 724 suppl. 12135 = CE 1612,7 el-Khima in provincia Byzacena, saec. III
15) XIII 2219 = CE 1198,5 Luguduni, periit
16) III 6384 = CE 1206,1 s. prope Salonas (praecedit „Q. Aeronio Firmino d(e)f(uncto) ann. XIIII")
17) X 4041 = CE 1075,5 ex agro Campano
1) VIII 17896 Thamugadi in Numidia
2) VI 9162 Romae, a. 522
Di 4278 C Cortonae in Etruria
II 4331 Tarracone
3) VIII 23586 Mactari
4) XIV 3676 Tibure
5) XII 2703 = CE 764,2 s. in agro Albensi Helvorum, saec. VI
6) III p. 855,6 in com. Simeghensi in praedio Belegh, a. 85
7) Gramm. Lat. III 286,21
8) Alex. 3, 3, 14 („decem et quinque milia")
9) CE 2126,3 Romae

ter quinos, ter quinus: Saepius numerale distributivum „quini“ in casus declinatum adverbio „ter“ multiplicatum occurrit, exempli gratia „intra ter quinos infelix occidit annos“ [10]) et „unius viri consortio ter quinus coniuncta per annos“ [11]).

ter quindecim: In carmine quodam epigraphico Pannoniae inferioris (III 3337) legit Mommsen „ter vindeo annos non plus adoleverat aetas“. Sic in lapide est secundum corpus inscriptionum Latinarum, sed alii pro „vindeo“ „undeno“ legerunt. Mommsen, quem Diehl in dissertatione „De M finali epigraphica“ [12]) in capite „de hiatu extra caesuram“ secutus est, coniecit „ter quindecim annos . . .“ Contra Buecheler in „Carminibus epigraphicis“ coniecit „ter vix(it) deno[s] annos . . .“ [13]). Versui satis erat „quadraginta annos“ vel „ter denos annos“.

C. De re metrica

quindecim in hiatu: De dictione „ter quindecim“ in hiatu posita iam in capite „de syntaxi“ egi. In versu „XV annorum quint[o] dulcissima vixsí“ [14]) notam numeralem XV „quindecim“ cum hiatu legere debemus.

quindeci nota numerali expressum: Metro forma „quindeci“ postulatur in carmine quodam epigraphico Romano: „XV quoque dies. sic est translata de saeclo“ [15]). Antecedit versus „quae vixit annos novem et undeci menses“. Etiam hic lapicida numeralia notis expressit: „quae vixit annos IX et XI menses“.

De numerali „sedecim“

A. De sonis ac litteris

sedecem: Forma sedecem [1]) ad analogiam numeri „decem“ figurata est.

sedeci: Littera „M“ finalis infirma omissa est in sedeci [2]).

sedece: Utraque sonorum mutatio subest in sedece [3]), forma a linguis Romanensibus postulata [4]).

sedeim: Figura sedeim [5]) ita explicanda est, ut similiter ac „g“ etiam „c“ inter vocales molliri posteaque elidi potuerit [6]).

---

10) III 8739 = CE 1148,3 Salonis (praecedit „. . . Q. Ennio Sever[o] ann. XV“)

11) CE 693,4 Romae, a. 483; cf. DE 8885,3 „[te]r quineis“ (prope Aquileiam)

12) p. 134

13) III 3337 = CE 557,3 in Pannonia inferiore

14) X 5020 = CE 1084,3 Venafri

15) CE 656,15 Romae; cf. Diehl: „De M fin. ep.“ p. 193

1) XII 4393 Narbone

2) Di 2705, 2709 adn. Romae

3) X 3148 Puteolis
XIII 2405 Luguduni, periit

4) Grandgent § 379

5) VI 18502 Romae

6) Grandgent § 256, 263

sexdecim: Numeralia „sex" et „decem" nondum omnino coalescentes formam sexdecim effecerunt, quae in inscriptionibus semel occurrit [7]). Etiam apud Cic. pro Cluent. 32, 87 bis; Caes. bell. Gall. 1, 18, 1; Liv. 10, 31, 7; 23, 49, 9; 31, 12. 6; 32, 21. 18; 43, 12, 7; 45, 35, 3, Tacit. ann. 1, 19 eam numeralium coniunctionem legimus [8]).

sex et dece: In carmine quodam epigraphico Romano versus invenitur „quae annos aetatis agens sex et dece mensib(us) octo" [9]).

decem sexs: Alia numeralium coniunctio rara in titulo Patavino occurrit: „pedes decem sexs" [10]).

senos iterumque decem: Circumlocutionem poeticam in carmine epigraphico legimus: „per senos iterumque decem sat fecimus annos" [11]).

bis octo: Cardinale „octo" adverbio numerali „bis" multiplicatùm pro „sedecim" in duobus carminibus epigraphicis invenimus: „bis octo in annis hoce sub tumulo iacet" [12]) „et nupta bis octo per annos" [13]).

bis octonos: Saepe numerale distributivum „octonos" adverbio „bis" multiplicatum occurrit, exempli gratia „namque bis octonos nondum compleverat annos" [14]), „illa bis octónos vixit miseranda per annos" [15]), „qui cum per annos bis octonos vita gerit" [16]), „nata bis octonos letali funere rapta" [17]), „iam bis ut octonos Spendon compleverat annos" [18]), „[quem b]is octonos du[cent]em luminis an[nos]" [19]).

quater quaternos: Alio quoque modo numerus „sedecim" significari potest: „quater quaternos vixit per annos" [20]).

unum ter quinis: Ratio numeros addendi et multiplicandi coniungitur in dictione „unum ter quinis adiunxit ep(iscopu)s annum" [21]).

---

7) V 7453 = CE 1578,6 in agro Vardagatensi, periit
8) Neue II³ p. 287
9) VI 23629 = CE 496,2 Romae
10) V 3082 Patavii
11) CE 754,5 via Salaria nova; cf. „dece coniunctis bis ter . . . diebus": VIII 24787 = CE 1943,4 Carthagine
12) XI 6246 = CE 104,2 Fani Fortunae
13) III 3572 = CE 558,3 Aquinci, saec. III
14) XIV 2737 = CE 1297,3 sub Tusculo
15) XI 1209 = CE 1550 A, 3 Veleiae
16) VIII 18792 = CE 1788,4 apud Nattabutes Numidiae
17) CE 1996,11 prope Ammaedaram, saec. II/III
18) XII 882 = CE 1071,1 Arelate, saec. I
19) III 14190¹ = CE 2001,2 Dorylaei in Phrygia; cf. „bis quinos denos et sex provecta per annos" pro „triginta sex" CE 451,2 Romae
20) CE 721, 9 in Cordubensi regione, a. 642
21) V 6724 = CE 705,8 Vercellis, saec. V

sedecim, sexdecim in hiatu: Tres versus epigraphicos inveni, in quibus numerale „sedecim“ vel „sexdecim“ in hiatu positum est: „hic tamen in biennio vixit quasi qui vixisset sedecim annis“ [22], „quod nondum frunitus XVI annos“ [23], „frunitus sexdecim annis castitate et amore tui“ [24].

sedeci nota numerali expressum: In versu „qui vixit annos bis senos et XVI menses“ [25] pro nota numerali Mazochius „sedeci“, Gruter „sex“ coniecerunt. Sed „sedeci“ verisimilius est, quod metro adaptatur, quamvis dictio mira sit pro „annos tredecim et quattuor menses“.

Simili modo menses numerum „duodecim“ transgrediuntur in X 7112 = Di 1549 (Catinae): „mense octavo decimo“; cf. II 1220 (Hispali): „V · D · L · V · H · V“, i. e. „vixit dies quinquaginta quinque, horas quinque“, et VIII 1700 (Siccae Veneriae): „vixit anis XXXI d(ies) L et S“ (cf. Di III p. 306).

sēdece: Ante consonantes non „sedecim“, sed „sedece“ versui dactylico adaptari potest: „[annos] dece menses sep[te dies]que sedece plenos“ [26].

De numerali „septendecim“

De syntaxi

decem et septem: Priscianus in opere „De figuris numerorum“ [1] numeralia enumerans non „septendecim“, sed decem et septem dicit: „Decem, undecim, duodecim, tredecim, quattuordecim, quindecim, sedecim, decem et septem, decem et octo, decem et novem, viginti, viginti unus et viginti una et viginti unum.“ In inscriptionibus duo exempla inveni [2], quorum alterum e privilegiis veteranorum sumptum est, quae etiam „decem et una“, „decem et tribus“, „decem et quattuor“, „decem et quinque“ exhibent. Dictionis „decem et septem“ permulta exempla apud auctores exstant [3], veluti apud Cic. Verr. act. II 1, 14, 36 bis, Liv. 28, 4, 6; 33, 21, 8; 34, 10, 14; 40, 40, 11, Vell. Paterc. 2, 65, 1, Val. Maxim. 5, 6, 4, Plin. Epist. 2, 17, 2, Frontin. aquaed. 47; 83, Ulpian. dig. 3, 1, 1 § 3; 30, 49 § 1, Lamprid. Alex. Sev. 47, 1, Aur. Victor. epit. 48, 1, Veget. de re milit. 3, 8, Augustin. civ. Dei 15. 13 (II 84, 24), Macrob. sat. 1, 13, 7, Hygin. munit. castr. 42, Oros. 6, 18, 19.

---

[22]) VI 18086 = CE 1581,8 Romae
[23]) VIII 9519 = CE 526,8 Caesareae Mauretaniae
[24]) V 7453 = CE 1578,6 in agro Vardagatensi, periit
[25]) VI 12013 = CE 1568,5 Romae
[26]) X 3148 = CE 1826,1 Puteolis
[1]) Gramm. Lat. III 412,24
[2]) XIII 7573 Aquis Mattiacorum, a. 116
Rev. arch. 1927 II p. 357 Muhowo (Ichtiman)
[3]) Neue II³ p. 287

dece et septe: Linguae Romanenses dece et septe littera „m“ utraque abiecta postulant, quae forma uno in titulo christiano [4]) legitur. Grandgent [5]) dicit: „Beside „dece et septe“ there was „*dece ac septe“ “; sed ea forma in inscriptionibus non occurrit.

septe et dece: Ordo numeralium inversus in carmine quodam epigraphico occurrit: „[ann]os septe et dece nat[us]“ [6]). Etiam apud auctores forma „septem et decem“ litteris „m“ non abiectis interdum legitur [7]), e. c. Plaut. Cist. 755, Iustinian. Instit. 1, 6 § 5.

decem septem: Priscianus in „Institutione grammatica“ [8]) docet: „Livius tamen frequenter etiam sine coniunctione „septemdecem“ et „decemseptem“ “. Figura decemseptem, quae apud Livium [9]) et apud Probum [10]) invenitur, in inscriptionibus semel occurrit [11]).

decesepte: Eandem formam „m“ ambabus omissis tribus in titulis [12]) invenimus, quorum duo Gallici sunt.

septem decer: Numeralia „septem“ et „decem“ praepositione „post“ separata in carmine quodam epigraphico legimus: „nunc te tellus habet, septem post decer peractos exegeras fasces“ [13]). De forma „decer“ sub numero „decem“ egi.

septemque decemque, septemq. decemq.: Duo carmina epigraphica dictionem „septemque decemque“ aut plene scriptam aut compendiatam pro „septendecim“ praebent, cum versui dactylico optime adaptari possit: „merui post classicus miles ad latus Augusti annos septemque decemque“ [14]), „mensibus . . ., quos super atvixsit septemq. decemq. diebus“ [15]), quo in titulo lapis „atvixsipiptemq“ exhibet ut videtur errore quadratarii.

ter quinos bis singulos: Circumlocutio copiosa pro „septendecim“ in carmine quodam epigraphico Africano occurrit: „ter quinos bis singulos peregi annos“ [16]).

De numerali „duodeviginti“

De syntaxi

decem et octo: Ratio scribendi decem et octo pro „duodeviginti“ scriptura notarum XVIII effecta est. In titulis tria exempla

4) Di 645 Romae
5) § 379 p. 160
6) VI 30126 = CE 1671,6
7) Neue II³ p. 287
8) Gramm. Lat. III 286,22
9) Liv. 24, 15, 2; 38, 33, 10
10) Prob. instit. art. p. 296 (98,13)
11) III 14195_4 Ephesi
12) Nouv. rec. 2 prope Lugudunum, saec. VI
XIII 5463 prope Dibionem
III 2233 Salonis (ibid. „undecim“, „duodecim“)
13) CE 678,4 s. Romae, a. 398
14) V 938 = CE 372,1 s. prope Aquileiam
15) X 2503 = CE 1231,3 Puteolis
16) VIII 724 suppl. 12135 = CE 1612,3 el-Khima in provincia Byzacena, saec. III

Romana[1]) legimus. Etiam in libris manuscriptis ea numeralium separatio saepissime occurrit, ut Neue[2]) quinquaginta quattuor exemplis demonstrat. Priscianus in opere „De figuris numerorum"[3]) „duodeviginti" non affert, sed solam formam „decem et octo".

d e c e e t o c t o: Eandem compositionem „m" finali numeri prioris abiecta invenimus in versu paroemiaco Hadriani vel Pii aetatis: „ruperunt fila sorores, annos me post d e c e e t o c t o vetuerunt visere lumen"[4]). Quem versum Diehl in dissertatione „De M finali epigraphica" in capite de synaloephe[5]) tetigit. Buecheler testes alios non „dece", sed „decem" scripsisse ad locum adnotavit.

d e c e d o c t o: Formam „dece et octo" sermone vulgari quattuor syllabis enuntiatam esse verisimile est. Quare numeralia separata in d e c e d o c t o[6]) coalescere potuerunt. De transitu consonantis „t" in „d" Grandgent[7]) docet: „Intervocalic „t" was voiced to „d" in Spain, Gaul, Raetia and northern Italy probably in the fifth or sixth century"; sed hoc exemplum Romanum est.

d e c e o t t o: Etiam sine coniunctione formam d e c e o t t o[8]) legimus in titulo quodam christiano Romano, quae e „decem octo" orta est. Ea compositio semel apud Livium[9]) invenitur. De assimilatione consonantium „c" et „t" forma „oto" comparari potest.

o c t o e t d e c e m: Compositionem inversam o c t o e t d e c e m in senario epigraphico legimus: „eques sepultus hic sum natus annos octo et decem"[10]); sed „. . . hic sum annorum octo et decem" in senario scribi debebat, nisi poeta versum octonarium iambicum voluit cum hiatu post „octo". Apud auctores eam dictionem non inveni.

t e r s e x: Ratione multiplicativa numerale „duodeviginti" exprimitur in carmine quodam epigraphico: „s[e]x lust[ra] exegit non breve t e r spatium"[11]).

t e r s e n o s, t e r s e n i s: Pro cardinali „sex" numerale distributivum „seni" saepius occurrit, veluti „t e r s e n o s aetas mea cum processit in annos"[12]), „Vibia Phryne vixit t e r s e n o s annos"[13]), „t e r s e n i s [lus]tris proximus occubuit"[14]). Quod attinet ad exemplum ultimum, „ter enis . . . tris" in lapide est. Bovius, Sirmondus, Buecheler „ter denis lustris", Baronius, Toninius, Bormannus „ter senis lustris" coniecerunt. Buecheler „terdenis" pro „tredecim" poetica

---

[1]) VI 16169 = CE 85,1 Romae
Di 3856, 3893 Romae

[2]) Neue II³ p. 287 s.

[3]) Gramm. Lat. III 412, 26

[4]) IX 2272 = CE 1523,4 ss. Telesiae in Samnio

[5]) p. 123

[6]) Di 2797 A adn. Romae

[7]) § 286 p. 121

[8]) Di 4002 A Romae

[9]) Liv. 37, 57, 6

[10]) IX 1880 = CE 100,3 Beneventi

[11]) XII 2660 = CE 1366,8 Albae Helviae, a. 512

[12]) VI 25703 = 1537 A, 3 Romae

[13]) VI 28877 = CE 1036 in carminis praescripto, Romae

[14]) XI 382 = CE 1376,14 Arimini; cf. III 6414 = CE 588,2 ss. (prope Scardonam) „huic vite finis in ipsis ter senis misero et quattuor paene peractis annis acerva fuit"

licentia scriptum putat esse et hunc versum inscriptionis Salonis repertae comparationis causa affert (III 2628 suppl. 9259 = CE 456,3 Salonis): „(Fortuna) [ter?] denos vix passa est annos te cernere lumen".

bis novenos: Semel pro „duodeviginti" bis novenos invenitur: „quae iam bis novenos pariter impleverat annos"[15]; sed in archetypo pro „novenos" „denos" scriptum fuit.

„duodeviginti" pro „duoetvicensimani": Error quadratarii „duodeviginti"[16] est in dictione „duodeviginti haec vota fuerunt"; fuisse „duoetvicensimani (sc. milites legionis vicesimae secundae) haec vota fecerunt" coniecit Domaszewski.

Huic capiti appendiculam affigo, quae cetera numeralia denaria cum „octo" composita continet.

viginti octo: Pro modo subtrahendi numeris a „duode-" incipientibus expresso ratio addendi scriptura notarum effecta saepius adhibetur. Compositioni „deceotto" viginti octo[17] respondet, quae apud auctores quoque interdum occurrit, veluti apud Censorin. 18,8, Frontin. aquaed. 7, 9, 67, 83, 86[18].

triginta octo: Similis dictio triginta octo[19] pro „duodequadraginta" est, quae etiam apud Vell. Paterc. 2,12,1 et Frontin. aquaed. 73, 85 invenitur.

tr..nta et octo: Numeralia coniunctione „et" copulata tr..nta et octo[20] compositioni „decem et octo" respondent. Apud scriptores „triginta et octo" non inveni.

octo et triginta: Ordo numeralium inversus octo et triginta[21] in inscriptione quadam Romana et apud Val. Maxim. 1, 6, 2 legitur. Dictio „octo et decem" comparari potest.

quinquacinta et octo: De „decem et octo" atque „tr..nta et octo" iam egimus. Similis compositio quinquacinta et oc[to][22] in titulis semel occurrit. Etiam apud Val. Maxim. 2, 4, 3 „quinquaginta et octo" invenitur.

De numerali „undeviginti"

De syntaxi

dece et novem, dece et nove: Numerus „undeviginti" passim XVIII aut XIX notatur; itaque modo subtrahendi neglecto (IXX = undeviginti) complures compositiones numeralium additorum occurrunt. Dictiones dece et novem[1], dece et nove[2] compo-

---

[15]) CE 2111,3 Emeritae

[16]) XIII 8502 = DE 8937 in castro Tuitiensi („duoetvicensimani" = milites legionis vicesimae secundae)

[17]) Rev. arch. 1913 II p. 449 Ostiae

[18]) Neue II³ p. 293

[19]) VI 12560 Romae

[20]) XI 1711 Florentiae

[21]) VI 26538 Romae

[22]) IX 5284 inter Asculum et Cupram Maritimam

[1]) Di 2790 A Romae (ibid. „decem")

[2]) Di 2792 Tusculi, a. 404

sitioni „dece et octo“ respondent. „Decem et novem“ apud auctores quoque saepius invenitur [3]), veluti Caes. bell. Gall. 2, 4, 9, Liv. 40, 40, 13; 45, 43, 5, Frontin. aquaed. 48, Augustin. civ. Dei 15, 22, Oros. 7, 12, 1. Paucker in opere „De latinitate Hieronymi“ [4]) dicit: „Constanter Hieronymus „octo“ quoque et „novem“ denariis numeris addere solet, ut „decem et octo“, „decem et novem“ contra consuetudinem veterum obsolescentem posteriore aetate tales numeros per subtractionem et „duodeviginti“, „undeviginti“ proferendi“. Priscianus in libro „De figuris numerorum“ [5]) dictionem „decem et novem“ aeque ac „decem et octo“ permittit.

decem novem: Compositioni „deceotto“ respondet decem novem [6]), quae in libris quoque manuscriptis [7]) nonnumquam occurrit, e. c. apud Caes. bell. Gall. 1, 8, 1, Tacit. hist. 2, 58, Prob. instit. art. p. 289, 313, Vitr. 3, 2, 7, Colum. 5, 1, 11. Huius formationis derivatum „decennovium“ est assimilatione consonantium ortum.

decenobem: Eandem figuram sermone vulgari deformatam habemus in decenobem [8]) inscriptionis cuiusdam christianae Romanae.

novem atque decem: Ordo inversus numeralium coniunctione „atque“ copulatorum in titulo Romano metrico invenitur: „annos qui vitae linquo novem atque decem“ [9]).

Aeque ac sub „duodeviginti“ etiam hic appendiculam addo numeros denarios superiores cardinali „novem“ coniunctos continentem.

viginti et nove: Similiter atque „dece et nove“ etiam viginti et nove [10]) uno in titulo occurrit. Compositionem „viginti et novem“ apud scriptores et poetas non inveni.

biginti nobem, biginti nobe: Eundem numerum coniunctione carentem et betacismo, ut ita dicam, affectum in inscriptionibus duabus Romanis legimus: biginti nobem [11]), biginti nobe [12]). Apud auctores [13]) compositio „viginti novem“ bis occurrit: apud Liv. 22, 49, 16 et Augustin. civ. Dei 18, 22.

bis denis et novem: Ratio multiplicativa et additiva inter se coniunguntur pro modo subtrahendi numeralis „undetriginta“ in hoc versu carminis cuiusdam epigraphici: „vixit bis denis et novem simu labentibus ann(i)s“ [14]).

triginta et novem: Pro „undequadraginta“ triginta et novem [15]) in inscriptionibus semel, apud scriptores non invenitur.

---

[3]) Neue II³ p. 288
[4]) p. 89
[5]) Gramm. Lat. III 412,26
[6]) V 4370 Brixiae
[7]) Neue II³ p. 288
[8]) Di 4002 A Romae
[9]) VI 27852 = CE 1225,2 Romae
[10]) XI 2948 Volcis
[11]) VI 19009 Romae
[12]) Di 2940 A a Romae, a. 350
[13]) Neue II³ p. 293
[14]) XII 2113 = CE 763,2 Viennae
[15]) XIII 1855 Luguduni, periit (ibid. „octoginta et septim“)

triginta nobe: Idem numerus coniunctione carens forma vulgari in titulo quodam Africano occurrit: triginta nobe[16]). Apud auctores „triginta novem" interdum legimus, veluti apud Liv. 42, 51, 11, Plin. epist. 8, 5, 1, Frontin. aquaed. 78, 86, Augustin. civ. Dei 3, 9.

De numerali „viginti"

A. De orthographia

veiginti: In forma veiginti[1]) „ī" in „ei" non transiit, sed „ei" nihil aliud nisi scriptura pro „i" longa est, quae temporibus liberae rei publicae exeuntis in usu erat.

vigint.: Suspensio est vigint.[2]).

B. De sonis ac litteris

biginti: Multis in titulis pro „viginti" forma biginti[3]) occurrit. Cum etymologiam vocabuli consideramus, formas „biginti" et „bis" comparare non possumus; „bis" enim e „*dvis" ut „bellum" e „duellum" ortam esse constat, sed forma originalis numeri „viginti" „*u̯īkm̥ti"[4]) est. Permutationem „v" > „b", quae saeculo post Christum natum tertio scribi coepit[5]), betacismum appellare velim[6]).

βιγιντι: Notatu digna est scriptura Graeca βιγιντι[7]).

uqinti: Haud scio an in forma uqinti[8]) vocalis „i" syllabae primae dissimilatione exstincta sit. In eodem titulo etiam „uxit" pro „vixit" legitur[9]).

viqinti, uqinti, vicinti, viciinti, bic.: Consonantem „g" inter vocales sermone plebeio durescere posse Appendix Probi[10]) docet: „digitus non dicitus". Numeri „viginti" „g" litterae in „q" sive „c" mutatae exempla haec sunt: viqinti[11], uqinti[12]),

---

16) Di 1349 A prope el-Djem
1) I[1] 1194 = I[2] 1570 = X 6009 = CE 56,4 Minturnis
2) VI 27209 Romae
3) VI 19009 Romae
Di 2940 A a Romae, a. 350
Di 2921 Romae, periit, a. 431
Di 2999 A, 3048 B a, 3212 G, 3780, 4390 Romae
X 3305 Puteolis, periit
VIII 22891 prope Thapsum Byzacenae (ibid. „bixit")
VIII 23230 a Sufetulae (cf. Rev. arch. 1912 II p. 492)
4) Kieckers: Hist. lat. Gramm. II § 46 p. 110
5) cf. Edict. Diocl. 127,8
6) cf. „nobe"
7) Di 2300 A Romae
8) Di 2693 adn. Romae
9) cf. „qunque", Hib. „uceint"
10) Gramm. Lat. IV 198,10
11) VI 20365 Romae
12) Di 2693 adn. Romae

vicinti[13]), viciinti[14]), bic.[15]). Formae littera „c“ scriptae alio quoque modo declarari possunt: Ut Etrusci, ita etiam Romani sonum gutturalem tenuem „c“ et mediam „g“ usque ad saeculum ante Christum natum tertium semper una eademque littera angulata sive cuneata <, postea curvata C scribebant. Etiam temporibus posterioribus, cum sonos gutturales distinguendi causa littera G iam adhibebatur, littera C pro sono gutturali tenui et media saepe promiscue in usu erat[16]). Consonantem Indogermanicam „k“ formae originalis „*u̯ĭkm̥ti“ in figuris Graecis ϝίκατι, εἴκοσι sim. conservatam etiam in his formis Latinis epigraphicis mansisse existimare absurdum est.

vinti: „Viginti“ ceterique numeri denarii nonnulla praebent documenta accentus in antepaenultima et ultima syllaba positi. Ita vinti[17]) ex „víginti“ ortum est, qui accentus sermone Latino et fortasse linguis Romanensibus postulatur[18]). Forma „vinti“ praecipue in titulis Africanis occurrit. Usque ad hunc diem figuram contractam „vinti“ lingua Sardorum servavit[19]). Ceterae omnes linguae Romanenses excepta Valachica (doăzecĭ) formas huius numeri variis modis contractas adhibent[20]). Iud in commentario de numeralibus denariis in linguis Romanensibus[21]) mutationem numeri „viginti“ > „vinti“ ita explicat: primum „viginti“, cum consonans „g“ in utroque latere vocali „i“ circumdata esset, in „*vijinti“ transiit. Deinde palatalis „j“ excidit, cum inter duas vocales palatales posita esset, quam rem Iud octo exemplis Romanensibus demonstrat. Tum saeculo post Christum natum quinto „*viinti“ in „vinti“ contractum est.

viciinti: Quintilianus in „Institutione oratoria“ (I 7, 14) docet: „Usque ad Accium et ultra porrectas syllabas geminis . . . vocalibus scripserunt“. Etiam Velius Longus in libro „De orthographia“ (Gramm. Lat. VII 55, 25) dicit: „Nec Accium secuti sumus semper vocales geminantem, ubicumque producitur syllaba.“ Item Terentius Scaurus in libro „De orthographia“[22]) Accium geminatis vocalibus scribi natura longas syllabas voluisse tradidit. Sed hanc regulam syllaba secunda formae viciinti[23]) secuta esse non potest, cum Accius ipse, ut Marius Victorinus in „Arte grammatica“[24]) refert, pro „i“ producta non „ii“, sed „ei“ scriberet; inscriptiones saepe „i“ longam praebent[25]). Etiam alia de causa in forma „viciinti“ „i“ geminata

[13]) XI 6417 Pisauri
VIII 14125 Carthagine
[14]) Di 4950 Romae (iud.)
[15]) Di 4583 Romae
[16]) Kieckers I § 4
[17]) VI 19007 = CE 562,3 Romae
VIII 8573 Sitifi (ibid. „viginti“)
VIII 16566 = CE 1332,5 Theveste
[18]) Meyer-Lübke I § 601, Lindsay VI § 75
[19]) Schuchardt de pron. vulg. II p. 508
[20]) Meyer-Lübke II § 559
[21]) Jud: Die Zehnerzahlen in den romanischen Sprachen (Festschrift für Morf) p. 234—237
[22]) Gramm. Lat. VII 18,12
[23]) Di 4950 Romae (iud.)
[24]) Gramm. Lat. VI 8,14
[25]) Christiansen: De apicibus et i longis inscriptionum Latinarum, Diss. Kiel 1889

vocalem productam significare non potest; syllaba enim secunda numeri „viginti" „-gin-" e „k" et „m̥" sonante „-km̥" orta ideoque pronuntiatione correpta et solum positione producta est. Lapicida, nisi erravit, hac scriptura fortasse accentum significare voluit.

vigenti: „I" correptam temporibus posterioribus interdum in „e" transisse Schuchardt[26]) et Seelmann[27]) demonstrant. Praeter vigenti[28]) inscriptionum etiam forma βειεντι, quae in tabellis Ravennatibus[29]) saeculi sexti occurrit, notanda est. In libris manuscriptis Hispanis medii aevi praeter „veinte", „vente", „vinte" etiam „viente", „vient" inveniuntur[30]).

C. De syntaxi

bis decem: Adverbium numerale bis et cardinale decem inter se coniuncta pro „viginti" semel in carmine quodam epigraphico legimus: „Parcae . . finem vitae statuerunt, [vix quom ess]et bis decem anneis nata, indigniter"[31]).

bis denos, bis dénos: Multo saepius adverbium „bis" cum distributivo „deni" in carminibus epigraphicis ad „viginti" significandum coniungitur, veluti „[in]vida bis denos Lachesis concesserat annos"[32]), „natura mihi bis denos tribuit annos"[33]), „nóndum bis dénos aetas mea viderat annos"[34]), „nondum bis denos aetas com[pleverat annos]"[35]), „nondum bis denos annus compleverat annos"[36]), „bis denos septemq. annos emesa [quiescit]"[37]), „haec post bis denos secum transegerat annum"[38]), „bis denos carpens vitae [qui gesserat annos]"[39]), „bis denos iuvenis post[quam pervenit ad annos]"[40]), „qui nec bis denos vitae contigerat annos"[41]), „[qui ubi b]is denos anno[s aetate ado]levit"[42]), „aurea bis denos aetas cum stringeret annos"[43]), „hac ego bis denos nondum matura per annos"[44]), „quibus non in

---

26) I 461, III 151
27) p. 182, 199
28) X 2808 Puteolis
V 1645 Aquileiae (ibid. „vixet", „fedeles")
XIII 2377 Luguduni, periit, a. 520 (ibid. „sexagenta")
29) Jud p. 237
30) Jud p. 262
31) I¹ 1008 = I² 1215 a = VI 25369 = CE 59,4 Romae
32) VI 10493 = CE 1122,7 Romae
33) VI 11252 = CE 1567,1 Romae, saec. I
34) VI 12652 = CE 995 A, 7 Romae
35) VI 23135 = CE 1132,1 Romae
36) VI 33395 = CE 2070,1 Romae
37) CE 730,1 Romae
38) CE 1991,3 Romae, saec. II (iud.)
39) CE 2234,5 Romae
40) CE 2005,3 via Flaminia, a. 397
41) CE 1399,3 in agro Verano
42) IX 903 = CE 1591,4 Luceriae
43) V 1710 = CE 640,5 Aquileiae
44) V 2931 = CE 996,1 Patavii

se licuit bis denos viverent annos"[45], „bis denos perfuncta annos sine crimine morum"[46], „vixi ego bis denos annos tres atque seimitum"[47], „bis denos vitae qui [vix compleverat annos]"[48], „bis denos vixi depletis mensibus annos"[49].

bis denis: „qui sex bis denis tantum [cum adi]ecerit annos"[50], „bis denis gemini t[ransactis orbibus anni]"[51], „annis bis denis et sex tibi vita probata est"[52], „bis denis et novem simu labentibus ann(i)s"[53], „bis denis mihi mors annis accessit iniqua"[54].

octo et bisenis: Modus additivus et multiplicativus inter se coniunguntur in versu „octo et bisenis vidua permansit in annis"[55].

geminos decim: Dictionem „bis decem" in inscriptionibus semel occurrere iam vidimus. Similiter numerale „viginti" significatur dictione geminos decim: „triginta et geminos decim vix reddidit annos"[56].

ter denos minus quinque: Notanda est dictio rarissima ter denos minus quinque pro „viginti quinque", quae ad analogiam numeralium a „unde-", „duode-" incipientium orta videtur esse: „ter denos duxerat annos, heu male quinque minus"[57]. De „viginti octo"[58] p. 65 de „viginti et nove"[59], „biginti nobem"[60], „biginti nobe"[61], „bis denis et novem"[62] p. 66 verba feci.

D. De re metrica

vīgintī: Omnes syllabae productae sunt, secunda syllaba positione, exempli causa „nondum completis viginti quattuor annis"[62], „viginti tecum nam fers non amplius annos"[63].

vinti: De forma contracta „vinti" p. 68 egi; hic exempla tantummodo metrica afferre velim. Hexametrum „et menses septem diebus cum vinti duobus"[64] Lindsay[65] et Iud[66] proferunt. Prae-

[45] V 3996 = CE 595,2 prope lacum Benacum
[46] V 5320 = CE 1203,3 Comi, periit
[47] CE 429,3 Caesareae in Mauretania
[48] CE 1245,1 Caesareae Maurorum
[49] XII 533 = CE 465 B, 16 Aquis Sextiis, saec. II
[50] XI 3194 = CE 584,3 in agro Falisco
[51] V 6744 = CE 1732,7 Vercellis
[52] VIII 12792 = CE 1187,2 Carthagine
[53] XII 2113 = CE 763,2 Viennae
[54] CE 1116,3 Mogontiaci
[55] CE 736,5 Romae
[56] XII 942 = CE 667,5 Arelate
[57] III 10501 = CE 489,4 s. Aquinci
[58] Rev. arch. 1913 II p. 449 Ostiae
[59] XI 2948 Volcis
[60] VI 19009 Romae
[61] Di 2940 A a Romae, a. 350
[62] CE 1306,1 Romae
[63] II 1413 = CE 1069,3 Ursone
[64] VI 19007 = CE 562,3 Romae
[65] Lindsay VI § 75
[66] Jud p. 236

terea in carmine quodam elegiaco Africano eandem formam „vinti" legimus: „milibus, ut vili, vinti fuit sub me si qui cecurrit ecus." [67]). Iud „vīnti" enuntiandum esse existimat; nam eodem modo „prehĕndo" in „prēndo", „nihil" in „nīl", „cŏŏperio" in „cōperio", „cŏhŏrs" in „cōrs" contracta sunt.

De numerali „triginta"

A. De orthographia

t.: Compendium numeri „triginta" fortasse „T" [1]) est.

B. De sonis ac litteris

tricinta: Numerus tricinta [2]) aeque ac „vicinti" sim. formatus est. De „c" pro „g" p. 67 et 68 disserui.

trienta: Ad analogiam numeralium centenariorum „centum", „ducenti" sim. vocalis „e" etiam in numeros denarios invadere potuit, ita ut „*nonagenta", „octogenta" usque ad „vigenti" efficerentur [3]). Formae „trigenta" decem exempla Iud [4]) e codicibus affert, sed in inscriptionibus non invenitur. Figuram „*vienti" in titulis non occurrere iam vidimus, sed trienta [5]) bis legitur. Consonantem „g" inter vocales palatales positam ipsam palatalem „j" fieri posteaque omitti posse iam p. 68 demonstravi.

trinta: Forma contracta trinta [6]) in carmine quodam epigraphico Africano occurrit. Etiam „vinti" praecipue in titulis Africanis inveniri iam vidimus. Nonnulla alia exempla figurae „trinta" Iud [7]) e codicibus sumpsit. Similiter ac „vinti" forma „trinta" ita explicanda est: „trīgĭntā" > „*trījĭntā" > „*trīĭntā" > „trīntā" [8]). Aliam figuram brevissimam in lapide quodam Florentino legimus: numerale mutilatum „tr nta" [9]), cuius spatium vacuum inter „r" et „n" litteras ad formam „triginta" supplendam non sufficit, aut „trienta" aut „trinta" aut „trenta" suppleri potest, quas omnes coniecturas linguae Romanenses admittunt.

---

67) VIII 16566 = CE 1332,5 Theveste
1) Di 4497 Romae
V 6395 Laude, periit
2) Di 3053 A Romae
VIII 11161 in provincia Byzacena („[tri]cinta")
XIII 7202 Mogontiaci („tric[inta]")
3) sed cf. p. 68
4) Jud p. 240
5) XII 5399 Tolosae
XIII 5359 ad Iuram montem (cf. Nouv. rec. 295)
6) CE 2107 A, 10 Madauris
7) Jud p. 239
8 Jud p. 240
9) XI 1711 Florentiae

t e r g e n t a: Forma t e r g e n t a — in lapide „ersenta“ [10]) legimus — mea quidem sententia ad analogiam numeralium „ter“, „tertius“ facta est. De exitu „-enta“ iam sub „trienta“ egi.

t r i g i t t a: Assimilatio consonantium subest in t r i g i t t a (III 8500 prope vicum Gradac in Dalmatia).

C. De syntaxi

t e r d e n o s: Permultis in carminibus epigraphicis adverbium numerale t e r et distributivum d e n o s inter se coniuncta pro „triginta“ legimus, veluti „t e r d e n o s primum quam luna resumeret ignes“ [11]), „cum qua t e r d e n o s dulcissimos egerim annos“ [12]), „vixdum t e r d e n o s Fatum mihi neverat annos“ [13]), „non potuit totos t e r d e n o s ann(os) sextunque re(plere)“ [14]), „t e r d e n o s . . .“ [15]), „t e r morior d e n o s et post bis quattuor annos“ [16]), „nondum t e r d e n o s numerabat temporis annos“ [17]), „[annos q]ue vixit t e r d e n [o s, est] quoque [primum praetere]a ingressa“ [18]), „t e r d e n o s aevo binosque quater attulit annos“ [19]), „t e r d e n o s geminans transcendit cursibus annos“ [20]), „t e r d e n o s et VII sedis qui meruit annos“ [21]), „t e r d e n o s annos et ter ternos functa cur[a]“ [22]), „ultuma t e r d e n o s ac tr[es mi annos tulit aetas]“ [23]), „vix(i)t t e r d e n o s, post seriem coeperat, annos“ [24]), „vixi t e r d e n o s annos sine crimine vitae“ [25]), „quae t e r d e n o s viven . . .“ [26]), „t e r d e n o s vitae aev[o i]am duxerat annos“ [27]), „t e r vix(it) d e n o [s] annos, non plus adoleverat aetas“ [28]), „nam t e r d e n o s egi natales dum vita remansit“ [29]), „comple(n)s t e r d e n o s quae vitam vixerit annos“ [30]), „set cito rapta silet, t e r d e n o s duxerat annos“ [31]). Restat ut de compluribus exemplis difficilioribus nonnulla verba faciam. Metrum hexametri corruptum est in versu „o nimis iniustae (Parcae) t e r d e n o s dare munus in annos“ [32]);

---

[10]) IX 6401 Tarenti (iud.)
[11]) VI 8401 = CE 1388,13 Romae, saec. VI
[12]) VI 17985 a = CE 856,8 Romae
[13]) VI 30114 = CE 1114,2 Romae
[14]) VI 30127 = CE 490,2 Romae
[15]) VI 30164 = CE 1651,6 Romae
[16]) CE 673,2 Romae
[17]) XIV 3723 = CE 1260,2 Tiburi
[18]) XI 3276 = CE 552,2 s. Sutrii
[19]) V 6202 = CE 740,2 Mediolanii, periit
[20]) V p. 617,6 = CE 778,7 Mediolanii
[21]) VIII 8634 = CE 687,2 Sitifi, a. 440
[22]) VIII 16159 = CE 1554,8 non procul a Sicca Veneria
[23]) CE 1290,3 Caesareae Mauretaniae
[24]) CE 2019,2 Ammaedarae
[25]) II 391 suppl. p. 815 = CE 485,4 Conimbrigae Lusitanorum
[26]) XII 961 = CE 1727,3 Arelate
[27]) XII 631 = CE 696,5 in vico Le-Pin inter Aquas Sextias et et Massiliam sito
[28]) III 3337 = CE 557,3 in Pannonia inferiore
[29]) III 6475 suppl. 10762 = CE 1310,3 Emonae
[30]) III 9506 = CE 666,3 Salonis
[31]) III 10501 = CE 489,4 Aquinci
[32]) VI 15546 = CE 493,10 Romae

vocabula „paucos“, „primos“ pro „ter denos“ apta fuissent. Versus „ipse ter denus et lustra sic gesserat annus“ [33]) duas explicationes admittit: natus est annos aut triginta quinque aut duodeviginti; nam „ter denis“ etiam pro „tredecim“ positum esse potest, ut in versu „ter denis [lus]tris proximus occubuit“ (XI 382 = CE 1376,14 Arimini, saec. VI). Ante versum hexametrum „denos vix passa est annos te cernere lucem“ [34]) „r“ litterae vestigium est, unde „ter“ Hirschfeld suppleraț invitus, ut Buecheler adnotavit; sed metrum nihil amplius ultra id, quod nunc incisum est, postulat.

denos ter: Ordinem numeralium inversum in carmine quodam epigraphico Africano invenimus: „cum menses septem et denos ter vixeris annos“ [35]).

ter denis: Nonnumquam etiam ter denis pro „triginta“ occurrit, veluti „huic expletis ter centum ter denisque diebus invisae Parcae sollemnem celebrare diem“ [36]), „ter denis fuit annis vegetans in corpore mundo“ [37]). Sed aeque ac „ter denos“ [38]) etiam „ter denis“ pro „tredecim“ positum esse potest. Cuius significationis exemplum hoc est: „terdenis [lus]tris proximus occubuit“ [39]). Baronius, Toninius, Bormannus pro „ter denis“ „ter senis“ coniecerunt, qua dictione nonaginta anni exprimuntur. Sed numeralibus non mutatis „terdenis“ licentiam esse poeticam pro „tredecim“ putare debemus, cum Liberium sexaginta quinque annos vixisse multo verisimilius sit quam centum quinquaginta.

bis quinos denos: Duabus in inscriptionibus metricis Romanis bis quinos denos pro „triginta“ legimus: „bis quinos denos quae vixit annos aetatis“ [40]), „bis quinos denos et sex provecta per annos“ [41]).

decies ternos: In versu „decies ut ternos ad quater quaternos vixit per annos“ [42]) numerale „quadraginta sex“ ratione copiosa expressum est.

ter decies, ter deciens: Buecheler ad versum „ter decies bis terq. simul transegerat annos“ [43]) haec adnotavit: „perplexum numeri indicium et captiosum, magis XXXVI puto quam XXXII“. Similiter alio in carmine epigraphico cardinale compositum „triginta quattuor“ adverbiis numeralibus „ter deciens quater“ expressum est: „ter deciens quater in pace quietos pertuli annos“ [44]).

triginta et duo: Compositionibus multiplicativis absolutis ad cardinale „triginta“ cum numeralibus minoribus ratione anomala

---

33) XIII 1483 = CE 2202,3 Augustonemeti, periit, saec. VI

34) III 2628 suppl. 9259 = CE 456,3 Salonis

35) CE 1985,4 Madauris

36) XIII 6808 = CE 1590,4 s. Mogontiaci; cf. „ter denis sic victus ego domitusque diebus“ III 737 = CE 286,4 Constantinopoli, a. 390

37) CE 722,4 Medinae Sidoniae, a. 649

38) cf. supra

39) XI 382 = CE 1376,14 Arimini

40) VI 12853 = CE 548,2 Romae, periit

41) CE 451,2 Romae

42) CE 721,9 in Cordubensi regione

43) V p. 617,7 = CE 1437,3 Mediolanii

44) CE 718,4 prope Eboram Lusitanorum, a. 593

copulatum pervenimus. Triginta et duo in carmine quodam epigraphico Romano occurrit: „triginta et duo circiter celeri cursu perfeci meo"[45]), „triginta et duobus" in carmine Africano: „annis qui fere vixit triginta et duobus"[46]). Etiam apud auctores[47]) iuncturas similes invenimus, veluti „triginta et duae" Liv. 21, 22, 4, „XXX et duo" Curt. 6, 6, 23; 8, 6, 11, „triginta et duo" Capitol. Gord. 33, 1, „triginta et duos" Eutr. 1, 4, „triginta et duum" Oros. 6, 18, 10.

sex et triginta: Ordinem inversum legimus in versu „sex et triginta ann(is) vixit inculpata marito"[48]). Etiam apud Censorin. 22, 6 „sex et triginta" invenitur[49]).

sex triginta: Rarissime numerus minus valens sine coniunctione antecedit, veluti „post mortem patris servasti casta mariti sex triginta annis sic viduata fidem"[50]). Apud scriptores unum exemplum simile inveni: „quattuor quadraginta" Plaut. Mostell. 3, 1, 102 (630)[51]). De compositionibus „triginta octo"[52]), „tr . . nta et octo"[53]), „octo et triginta"[54]) p. 65 verba feci, item de iuncturis „triginta et novem"[55]) et „triginta nobe"[56]) p. 66 et 67.

D. De re metrica

trigintā: Syllaba ultima „-tā" numeralium denariorum producta est, cum exitus pluralis generis neutri eorum nomnium, quorum radices in „o" exeunt, priusquam in „ă" corriperetur, in cardinalia denaria invaserit[57]). Quantitatem rectam in duobus carminibus epigraphicis Romanis invenimus: „qui per triginta septem devixit in annos"[58]), „cum quo triginta vixí sine lab[e per annos]"[59]).

trigint(a) in elisione: De quantitate syllabae ultimae nihil constat in elisione, veluti „pos mortem patris servasti casta mariti sex triginta annis sic viduata fidem"[60]), „vixisti triginta annos duo mensibus et sex"[61]). Versus „triginta et duo circiter celeri

---

45) CE 1341,2 Romae
46) VIII 11347 = CE 1521,4 Sufetulae in provincia Byzacena
47) Neue II³ p. 292 s.
48) CE 455,3 Vesontione
49) Neue II³ p. 291.
50) CE 2103,3 s. = Di 2142 a, 3 s. Romae, saec. VI (cf. Rev. arch. 1905 II p. 203)
51) Neue II³ p. 292.
52) VI 12560 Romae
53) XI 1711 Florentiae
54) VI 26538 Romae
55) XIII 1855 Luguduni, periit
56) Di 1349 A prope El-Djem
57) Lindsay VI § 74, Kieckers Hist. lat. Gramm. II § 46 p. 110
58) VI 5167 = CE 729 A, 2 Romae
59) VI 10006 = CE 1133,5 Romae
60) Di 2142 a, 3 s. = CE 2103,3 s. Romae, saec. VI
61) CE 1829,11 Hadrumeti

cursu perfeci meo"[62]) ex senario deformatus est tali „tot annos celeri cursu perfeci meo". Vitiatus quoque est versus „t r i g i n t a annorum rapta est mihi lux gratissima vitae"[63]) pro hexametro veluti „impubi raptast mihi lux gratissima vitae", nisi in archetypo versus qui praecessit in annos cadebat.

t r i g i n t ă: Exemplum syllabae ultimae correptae habemus in versu „Pollia Saturnina parens t r i g i n t a per annos"[64]). Etiam in libris manuscriptis „triginta" interdum ita legendum est[65]), exempli gratia Iuvenc. 1, 639 „argenti triginta minas posuere profani", Manil. 2, 322 „ter triginta quadrum".

t r i g i n t a in hiatu: In versibus ionicis legimus „annis qui fere vixit t r i g i n t a et duobus"[66]). Buecheler ad locum haec adnotavit: „„triginta" ultima correpta facit hiatum, debuit „triginta atque duobus" ".

t r ī n t ă: Etiam in versu pentametro, qui formam contractam „trinta" continet, „post annos flores vitae t r i n t a duos"[67]), syllaba posterior cardinalis „trinta" correpta est.

d u o d e t r i g i n t ă: Quantitas syllabae ultimae in forma quoque composita subtractiva „duodetriginta" bis neglecta est: „[hi]c sita quae vixi d u o d e t r i g i n t a per annos"[68]), „annis in lucem d u o d e t r i g i n t a moratus"[69]).

De numerali „quadraginta"

A. De orthographia

c u a d r a g i n t a: Pro „qu-" etiam „cu-" scribitur: c u a d r a g i n t a[1]) (cf. „cuinque").

q a r a g i t a, q a r r a n t a: „Q-" mera pro „qu-" legitur in titulis posterioribus: q a r a g i t a[2]), q a r r a n t a[3]).

q u a d r a c i n t a, q u a r a c i n t a: Permutatione „c" et „g" litterarum simillimarum scripturas q u a r a c i n t a[4]), q u a r a c i n t a[5]) declarare possumus, nisi explicationes sub „vicinti" datas praeferre volumus.

---

[62]) CE 1341,2 Romae
[63]) XII 218 = CE 466,3 prope Antipolin
[64]) VI 10131 = CE 1282,3 Romae
[65]) Neue II³ p. 290 s.
[66]) VIII 241 suppl. 11347 = CE 1521,4 s. Sufetulae in provincia Byzacena
[67]) CE 2107 A, 10 Madauris
[68]) VI 12845 = CE 387,1 Romae
[69]) CE 1814,2 via Latina, saec. II.
[1]) X 3302 Puteolis (inscr. CXXD), III p. 806 ed. Diocl.
[2]) VIII 12200 Sidi Amara in provincia Byzacena
[3]) XIII 7645 Gondorf in Germania superiore
[4]) VI 19935 Romae
[5]) Di 888 Romae

quaragnta: Lapicida cum fere semper vocalem „i" in titulo quodam Africano omiserit, etiam quaragnta[6]) incidit. In eadem inscriptione „dulcs" pro „dulcis", „ans" pro „annis" occurrunt.

qd.: Compendium numeri „quadraginta" qd.[7]) est.

B. De sonis ac litteris

qarranta, qaragita, quaraginta, quaracinta, quaragnta: Consonantes „dr" in „rr" confusae sunt in forma qarranta[8]), quacum verba assimilata „arrigo", „arripio" al. comparari possunt. Multo saepius littera „r" non bis, sed semel scribitur, ut formis qaragita[9]), quaraginta[10]), quaracinta[11]), quaragnta[12]) demonstratur. Littera „d" in nulla linguarum Romanensium conservata est.

qarranta: Contractio vocalium ut in „vinti" et „trinta" subest in forma qarranta[13]) formis Romanensibus simillima. Quam figuram Iud[14]) ita explicat: „quadraginta" > „*quadragénta" > „*quadrainta > „*quadranta" > qarranta".

qaragita: „N" consonans „t" aut „qu" sequentibus omitti potest: qaragita[15]) (cf. „quique").

C. De syntaxi

viginti bis: Initio carminis cuiusdam epigraphici versum legimus: „Unu et viginti bis iuncti vix[i]mus annos" (X 7569 = CE 1551 C, 1 Caralibus).

bis vicenos: In versu hexametro „quáe bis vícenós compleraf lúcibus annos"[16]) bis vicenos pro „quadraginta" scriptum est, adde „nondum bis vicínos annos compleverat annus"[17]), ubi Buecheler archetypi vice coniecit „nondum bis denos annos compleverat aetas" (cf. CE p. 857).

vicenos bis: Ordo numeralium inversus adhibetur in versu „qui prope vicenos bis iam supleverat annos"[18]).

quater denos: Unum tantummodo exemplum dictionis quater denos (cf. „bis denos", „ter denos") in versu tituli cuiusdam

---

6) Di 2659 Thabracae in Numidia
7) Di 412 subscr. Romae
8) XIII 7645 Gondorf in Germania superiore
9) VIII 12200 Sidi Amara in provincia Byzacena
10) XIII 11032 Burdigalae (cf. DE 9215)
11) Di 888 Romae
12) Di 2659 Thabracae in Numidia
13) XIII 7645 Gondorf in Germania superiore
14) Iud p. 244
15) VIII 12200 Sidi Amara in provincia Byzacena
16) VI 24049 = CE 1041,3 Romae
17) VI 25617 = CE 965,11 Romae, a. 10
18) VIII 8870 = CE 501,5 Tupusuctu Mauretaniae

Africani christiani inveni: „quater denos et unum pia, patiens, modesta carpsit annos“ (Di 4842 Madauris).

quater denis: Similiter atque „bis denis“ et „ter denis“ etiam quater denis in titulis metricis occurrit: „vita quater denis et q[uinque annis fuit]“ [19]), „iste quater denis et quattuor mensibus annis i[a]m vixit“ [20]).

ter denos et bis quinos: Numerale „quadraginta“ copiosius expressum est ratione multiplicativa et additiva inter se copulatis in versu „ter denos et bis quin[os vix] sumsperat anno[s]“ [21]).

D. De re metrica

quadragint(a) in elisione: Ante vocalem de quantitate syllabae ultimae nihil constat: „nonaginta annos vixerunt adque duobus, quadraginta et quinque soror, reliquos fuit uxor“ [22]).

quadragintā: Exitum numeralium denariorum in carminibus producendum esse sub „triginta“ demonstravi; quod scriptura quoque apicata duodequadragintá [23]) tituli cuiusdam Pompeiani cognosci potest. Sed in carminibus epigraphicis exitum numeri „quadraginta“ nisi correptum non inveni, exempli gratia „quattuor híc annís exs quadraginta diebus maior in aeternam mersit sua lumina noctem“ [24]), „quadraginta duo mecum fero flebilis annos“ [25]). Syllabam ultimam numeri „quadraginta“ correptam esse constat quoque in versu dextra parte mutilato „ann(os) agens vitae bis quadra[ginta dicavit]“ [26]). Etiam numerale notatum XXXX in „quadragintā“ dissolvendum est in versu „haec namque emeritos bis XXXX per annos vixit“ [27]) (cf. Iuvenc. 2, 170, Anthol. Lat. ed. Riese 28; 798).

De numerali „quinquaginta“

A. De orthographia

cinqag[in]ta: „Q“ pro „qu“ scripta est in forma cinqag[in]ta [1]).

quinquacinta, cinquacinta: „C“ et „g“ inter se similes litterae formas quinquacinta [2]), cinquacinta [3]) effecerunt.

---

19) CE 660,3 via Ardeatina
20) VIII 14352 = CE 528,3 s. non procul ab Uzali Africae
21) VIII 7759 = CE 1327,11 Cirtae
22) III 14237 = CE 1990,3 s. Pitunti in Dalmatia
23) I^2 p. 189,4 Pompeis
24) X 8131 = CE 428,9 s. Stabiis
25) VI 12845 = CE 387,5 Romae
26) VIII 4524 = CE 574,8 Zarai
27) VI 28047 = CE 1128,3 Romae
1) Di 2973 b adn. Romae
2) IX 5284 inter Asculum et Cupram Maritimam
X 1535 Neapoli, periit, a. 570
XI 1411 Lunae in Etruria, periit
3) VI 9942 Romae
Di 2761 Romae
V 6191 Mediolanii, periit

quinquagigenta: Dittographia quinquagigenta[4]) est, cui formae „treres“ et „dececem“ comparare licet.

quinquaginte: Errorem lapicidae quinquaginte[5]) esse Iud[6]) existimat.

ciquaginta: Sonus nasalis saepe non scribitur ut in ciquaginta[7]); cf. „de sonis ac litteris“.

B. De sonis ac litteris

cinquaginta, ciquaginta, cinqaginta, cinquacinta, cinquanta: Dissimilatio consonantium subest in formis cinquaginta[8]), ciquaginta[9]), cinqag[in]ta[10]), cinquacinta[11]), cinquanta[12]), quam mutationem omnes linguae Romanenses passae sunt (cf. „quinque“).

ciquaginta: Nasalem infirmam ante tenues „t“ et „q“ omitti posse sub „quique“ et „qaragita“ vidimus, idem accidit in ciquaginta[13]), nisi „n“ omissa ad scripturam tantummodo pertinet; cf. „de orthographia“.

quinqueginta: Vocalis „e“ syllabae secundae formae quinqueginta[14]) e numerali „quinque“ sumpta est[15]).

quinquagenta, quinquagigenta: Ad analogiam numeralium centenariorum cardinale quinquagenta[16]) ortum est. Forma quinquagigenta[17]) (cf. supra) fortasse ita explicanda est, ut lapicida primum figuram rectam Latinam „quinquaginta“, deinde formam vulgarem „quinquagenta“ incidere voluerit. Schuchardt quattuor exempla formae „quinquagenta“ e codicibus profert[18]).

cinquanta: Contractio syllabarum subest in cinquanta[19]) ut in „vinti“, „trinta“, „qarranta“.

---

4) IV 6819 Pompeis
5) III 2115 Salonis
6) Iud p. 245
7) VI 21279 b Romae
8) X 5939 Anagniae
V 8759 prope Concordiam Venetiae
III p. 805 ed. Diocl.
9) VI 21279 b Romae
10) Di 2973 B adn. Romae
11) VI 9942 Romae
Di 2761 Romae
V 6191 Mediolanii, periit
12) Di 2664 Thabracae in Numidia, saec. IV
13) VI 21279 b Romae
14) V 4766 Brixiae
15) Iud p. 245
16) XII 482 Massiliae, saec. VI; cf. IV 3340 tab. XXXVIII pag. V Pompeis: „[quinqua]genti“
17) IV 6819 Pompeis
18) Schuchardt II 56, III 184
19) Di 2664 Thabracae in Numidia, saec. IV

quinquaginte: Haud scio an vocalis „a“ exiens formae quinquaginte[20]) (cf. p. 78) in „o“ transierit ideoque figura Francogallica „cinquante“ comparanda sit. Attamen hunc titulum in Gallia repertum non esse observandum est. Ceterae omnes linguae Romanenses vocalem „a“ exeuntem conservaverunt.

C. De syntaxi

triginta et geminos decim: Copiosius numerale „quinquaginta“ expressum est in versu „triginta et geminos decim vix reddidit annos“[21]).

D. De re metrica

quinquagintā: Secundum regulam syllaba ultima producta est in versu hexametro: „qui quinquaginta iuvenis dum degeret annos“[22]).

quinquagint(a) in elisione: In versibus nonnullis plerumque malis vocalis „a“ exiens numeri „quinquaginta“ elidenda est ante vocalem aut „h“, exempli gratia „annorum quinquaginta hodie aetate peregi“[23]), „qui vixit quinquaginta in annis“[24]). Haud scio an in carmine quoque commatico „a“ exiens elidenda sit: „qui vixi annis quinquaginta et militavi annis XXX et sum natus in provincia Dacia“[25]).

quinquagintă: In versu pentametro „heres quinquaginta meis millibus, ut volui, hanc aedem posuit“[26]) syllaba ultima numeri „quinquaginta“ correpta est. Anthologia Latina hunc versum hendecasyllabum continet: „quinquaginta (annos natus) velim diserta scribas“[27]).

De numerali „sexaginta“

A. De orthographia

sexsaginta: Sicut „sexs“, ita etiam sexsaginta[1]) numerus formatus est. Compendium „ss“ in titulo Clusino s[ex]s[aginta] significat.

---

20) III 2115 Salonis
21) XII 942 = CE 667,5 Arelate; cf. „decies quina[s] metas“ Di 1646 ex Anthol. Hisp.
22) CE 2107 B, 4 Madauris
23) CE 760,12 ad viam Nomentanam
24) III 9623 = CE 627,3 Salonis
25) III 14406 a = CE 1878,2 s. Heraclea Lynceslide Macedoniae
26) XIV 480 = CE 1255,5 ss. prope Ostiam
27) Anthol. Lat. ed. Riese 28,7
1) XI 2583 Clusii, a. 455
VIII 13311 Carthagine
VIII 21428 Caesareae Maurorum
Inscr. Hisp. chr. 158 in regione Carthaginiensi
XII 1427 Vasione
XIII 1533 in agro Arvernorum, periit, saec. VI

s e c s a g i n t a: „X“ in gutturalem et sibilantem dissolvi potest: s e c s a g i n t a[2].

s e x s a c i n t a: Forma s e x s a c i n t a[3]) littera „c“ scripta „c“ et „g“ similibus explicari potest (cf. „vicinti“). Haud scio an varietas litterae tenuis „ks“ et mediae „g“ difficultates eloquendi attulerit.

B. De sonis ac litteris

s e s a g i n t a: Sonus gutturalis et sibilans in „ss“ > „s“ assimilati sunt in forma s e s a g i n t a[4]) (cf. „ses“).

s e x a g e n t a: Figuram analogicam s e x a g e n t a[5]) duobus in titulis inveni (cf. p. 69).

C. De syntaxi

b i s t r i c e n o s: Ad numerum „sexaginta“ significandum adverbium „bis“ et numerale distributivum „triceni“ inter se multiplicantur, veluti „[b]is iam t r i c e n o s vitae [compleverat] annos“[6]).

s e x d e n o s: Etiam cardinale „sex“ et numerale distributivum „deni“ inter se coniungi possunt ad „sexaginta“ exprimendum, exempli causa „nam cum s e x d e n o s mensis suspenderet annos“[7]). „Denos“ plerumque cum adverbiis numeralibus copulatum esse notandum est.

t e r d e n o s g e m i n a n s: Constructionem quoque verbalem pro „sexaginta“ invenimus: „t e r d e n o s g e m i n a n s transcendit cursibus annos“[8]). Quo modo Arsacium episcopum sexaginta annos vixisse expressum est.

D. De re metrica

s ē s a g i n t a: Prima syllaba formae „sesaginta“ producitur in versu „sex et s e s a g i n t a animam pro[fuderat annis]“[9]). Etiam „sessaginta“ pronuntiare possumus, cum „s“ altera e „ss“ orta sit (cf. „de sonis ac litteris“).

s e x a g i n t (a), s e s a g i n t (a) in elisione: De quantitate syllabae ultimae vocalibus sequentibus nihil constat, ut haec exempla docent: „s e x a g i n t a annos vicino limite tangens“[10]), „sex et s e s a g i n t a animam pro[fuderat annis]“[11]).

---

[2]) VII 355 Luguvallii
[3]) Di 3523 D Romae
[4]) Di 1613 = CE 2098,5 Madauris in Numidia
[5]) VIII 11899 Mactari in provincia Byzacena
XIII 2377 Luguduni, periit, a. 520
[6]) CE 2117,1 Syracusis, a. 423
[7]) VI p. 389 = CE 1347 A 9 Romae, saec. IV. periit
[8]) V p. 617,6 = CE 778,7 Mediolanii
[9]) CE 2098,5 = Di 1613,5 Madauris
[10]) V 6240 = CE 1434,7 Mediolanii
[11]) CE 2098,5 = Di 1613 Madauris

sexagintă: Quattuor exempla syllabae ultimae correptae inveni: „sexaginta mi[h]i [vita est producta per annos]“ [12]), „(annos) sexaginta deo vixit post foe[dera prima]“ [13]), „sexaginta duos vixit bene purus in annos“ [14]), „sexaginta duos felix bene clauserit annos“ [15]). Quibus in omnibus exemplis „sexagintā“ quoque legere possumus „mī“, „deo“, „duos“ pronuntiando. Anthologia Latina, quam Riese edidit, complura exempla pronuntiationis „sexagintă“ continet [16]): 4, 67 „sexaginta senex annis duravit . . .“, 28, 8 „sexaginta (annos natus) tuo satis fruaris“, 486, 38 „sexaginta minas, seu vis, sex milia dragmas“.

De numerali „septuaginta“

A. De orthographia

o: Nota Graeca „o“ [2]) duobus in titulis Latinis pro „septuaginta“ posita est. Altera in inscriptione „NO“ [3]) legimus, quod suspensio quoque numeri „novem“ esse potest (cf. p. 49). „NO“ „numero septuaginta“ significaret.

B. De sonis ac litteris

septagita: Duae litterae omissae sunt in forma septagita [4]), „u“ et „n“. „U“ ante vocalem hiatum efficiens in sermone Latino vulgari saepius omissa est, ut exempla „quattuor“ > „quattor“, „battuo“ > „batto“, „februarius“ > „febrarius“, „victualia“ > „victalia“ [5]) docent. Sed etiam analogia denariorum numeralium vicinorum quattuor syllabarum „quadraginta“, „quinquaginta“, „sexaginta“, „octoginta“, „nonaginta“ formam „septagita“ efficere potuit. De „n“ omissa confer „qaragita“.

septuvaginta: Inter „u“ et „a“ consonans „v“ inserta est in forma septuvaginta [6]). Re vera „-uva-“ semper enuntiabatur, sed scriptura „v“ littera fere numquam reddita est.

septuazinta: Scriptura „z“ pro „g“ lapicida sonum mollitum „j“ (cf. „sedeim“) exprimere voluit: septuazinta [7]). In inscriptionibus posterioribus praeterea „Zanuari“, „Zesu“, „zunior“, „Ζουλεία“ pro „Julia“, „κόζους“ pro „coniunx“, „zerax“ pro „ἱέραξ“ invenimus, in

12) VI 16613 = CE 1650,3 Romae
13) CE 1978,3 Romae
14) CE 686,14 via Ostiensi
15) CE 1835,5 Tipasae in Mauretania
16) Neue II³ p. 290 s.
1) cf. „septuennis“
2) Di 2597 adn. Romae
3) X 4614 Caiatiae, periit, a. 554
4) Di 2552 E Thabracae in Numidia
5) Iud p. 245
6) VI 15910 Romae
7) Inscr. Hisp. chr. 22 a prope Emeritam Lusitaniae

codicibus et manuscriptis „zosum" pro „deorsum", „zabulus" pro „diabolus", „zaconus", „zebus", „zeta" pro „diaeta"[8].

septuagenta: Eodem modo ac „vigenti" etiam numerus septuagenta[9] ad analogiam numeralium centenariorum formatus est.

C. De syntaxi

septenis decies: Pro „septuaginta" semel septenis decies invenimus: „septenis decies cum Eustacia vixerit annis"[10].

cuater decies cuinos: Dictio cuater decies cuinos in carmine epigraphico Hispano occurrit: „cuater decies cuinos et duos vixerat annos"[11]. Quod attinet ad scripturas „cuater" et „cuinos", cardinalia „cuinque" et „cuadraginta" comparanda sunt.

D. De re metrica

septu̯āginta: Apice superposito „septu̯āginta" legendum esse certum est in versu hexametro „septuáginta super messés natálibus égi"[12] (cf. Anthol. Lat. ed. Riese 28, 9).

septŭăginta: Eodem modo hic numerus pronuntiari potest, nisi lapicida vocalem „a" priorem corripere voluit („septŭăginta"), in versu pentametro „septuaginta (orbes) forent, ni miseros cuperet (Parca parentes)"[13]. Buecheler adnotavit „correptis longis „septuaginta"." Aeque iudicamus de versu dactylico „accepit requiem post septuaginta non minus annos"[14] et iambico malo „egi annos quinque et septuaginta"[15].

septuagintă: Duo exempla Romana syllabae ultimae contra regulam correptae in carminibus epigraphicis exstant: „septuáginta super messés natálibus égi"[12], „septuaginta (orbes) forent, ní miseros (Parca parentes) cuperet"[13]. In Anthologia Latina 28, 9 legimus „septuaginta (annos natus) velis venire mortem".

septuaginta: De quantitate syllabae ultimae non constat in versibus malis „accepit requiem post septuaginta non minus annos"[14] et „egi annos quinque et septuaginta"[15].

---

8) Grandgent § 339; Thes. l. L. IV 341,75; V 559, 27; 940, 71; 944, 5; 947,46; 1022, 59;
Di III p. 89, 195, 292, 340, 501, 513;
Di Vulg.-lat. Inschr. p. 157 s.

9) XIII 905 Burdigalae, saec. VII

10) XII 2114 = CE 1444,1 Viennae

11) CE 720,6 Legione, a. 630

12) VI 22251 = CE 1127,5 Romae

13) VI 29426 = CE 1164,8 Romae

14) CE 1968,1 Aquileiae

15) VIII 26933 = CE 1873,2 Thuggae

De numerali „octoginta"

A. De sonis ac litteris

octaginta: In edicto Diocletiani formam octaginta[1]) ter legimus, quae ad analogiam numeralium denariorum „quadraginta", „quinquaginta", „sexaginta", „septuaginta", „nonaginta" orta est; sed figura recta „octoginta" in eodem edicto saepius occurrit. „Octuaginta" secundum „septuaginta" apud Gregorium in historia Francorum (V 9) primum legitur[2]).

octuginta, octugenta: De formis octuginta[3]) et octugenta[4]) Prinz[5]) in dissertatione „De „o" et „u" vocalibus inter se permutatis in lingua Latina quaestiones epigraphicae" dicit: „Utrum in „octuginta" „u" dissimilatione an ad analogiam vocis „Octuber", in qua „u" iam prius quam in „octuginta" occurrit, orta sit, nescio".

octogenta, octugenta: Ad analogiam numeri „centum" ceterorumque numeralium centenariorum numeri denarii octogenta[6]), octugenta[7]) aeque ac „vigenti" usque ad „septuagenta" formati sunt.

B. De syntaxi

bis quadraginta, bis XXXX: Pro „octoginta" bis quadraginta bis legimus; „quadraginta" semel exscriptum, semel notatum est: „ann(os) agens vitae bis quadra[ginta dicavit]"[8]) „haec namque emeritos bis XXXX per annos vixit"[9]).

octiens denos, octies denis: Aeque ac „bis denos", „ter denos" sim. dictiones octiens denos, octies denis formatae sunt, quas in carmine epigraphico saeculi sexti legimus: „octiens denos vita peragens feliciter annos"[10]) et in versu: „[o]ri toto octies denis circundatus annis"[11]).

bis quater denos: Insanae breviloquentiae, ut Buecheler ait, versus „bis quater ad denos pertulit illu dies"[12]) est. „Fortasse ad bis quater denos annos dies illum protulisse, vixisse ergo annos octoginta dicitur" Buecheler adnotavit.

---

1) III p. 810 bis, p. 811
2) Skutsch Forschungen I p. 23 s., Leumann § 206 p. 293, Iud p. 246, Neue II³ p. 290, Lindsay VI § 75, Kieckers II § 46 p. 110
3) XI 305 Ravennae, a. 570
Di 1646 in coenobio Asani a. 560
4) XIII 2430 Luguduni
5) Prinz p. 71
6) XII 2131 Viennae
7) XIII 2430 Luguduni
8) VIII 4524 = CE 574,8 Zarai
9) VI 28047 = 1128,3 s. Romae
10) CE 699,13 ex Hispania, saec. VI
11) VI 1080 = CE 274,3 Romae
12) VIII 2982 = CE 1501,1 Lambaese

C. De re metrica

o c t o g i n t ă: Unum exemplum syllabae ultimae correptae inveni: „o c t o g i n t a Leo transcendit episcopus annos“ [13]. Nomen episcopi „Leo“ „octogintā“ pronuntiandi causa in „Leo“ contrahendum non est. Praeterea [14] „octogintă“ occurrit in Anthol. Lat. (ed. Riese) 28, 10 „octoginta (annos natus) senes caveto morbos“.

De numerali „nonaginta“

A. De orthographia

o u i n o n a g i n t a: Forma o u i n o n a g i n t a [1] tituli cuiusdam Macedonici in „quinquaginta“ corrigenda est.

B. De sonis ac litteris

n o v a g i n t a: Ad analogiam numeri „novem“ forma n o v a g i n t a [2] orta est. Fortasse dissimilatione quoque ordo litterarum „n-n-n“ in „n-v-n“ mutatus est. Usque ad tempora hodierna litteram „v“ sermonis Latini vulgaris lingua Italiana („novanta“), Hispana („noventa“), Lusitana („noventa“) conservaverunt. In Engadinensi sola omnium linguarum Romanensium consonans „n“ secunda pristina latinitatis optimae permansit („nunainta“), sed lingua Valachica („noăzeci“) et Francogallica („quatre-vingt-dix“) compositiones recentes formaverunt.

n o n a n t a: Aeque ac „vinti“, „trinta“, „qarranta“, „cinquanta“ etiam n o n a n t a [3] forma contracta est. Inter „nonaginta“ et „nonanta“ figuram mediam „*nonainta“ viguisse existimare debemus, quam lingua Engadinensis forma „nunainta“ servavit.

C. De syntaxi

t e r t r i c e n o s: Adverbium „ter“ et numerale distributivum „triceni“ ad nonaginta significandum inter se coniunguntur in versu „haec t e r t r i c e n o s postquam pervenit ad annos, explicuit fatum“ [4].

n o v i e n s d e n i s: Etiam multiplicatione numeralium „novies“ et „denis“ „nonaginta“ exprimitur: „qui vix(it) annis n o v i e n s d e n i s prope convenientibus annis“ [5].

---

[13]) CE 761,13 in agro Verano
[14]) Neue II³ p. 290 s.
[1]) III 14406 a = CE 1878,2 Heraclea Lyncestide Macedoniae
[2]) VIII 24387 Djebel Djellud
[3]) VIII 27984 prope Thevestem
[4]) VIII 8896 = CE 1283,5 s. Tupusuctu Mauretaniae
[5]) VIII 8233 = CE 1609, 2 in colonia Milevitana; cf. XII 2660 = CE 1366,8 (Albae Helviae): „s[e]x lust[ra] exegit non breve ter spatium“

D. De re metrica

nonagint(a) in elisione: In versu „nonaginta annos vixerunt adque duobus“ [6]) nihil de quantitate syllabae ultimae numeri „nonaginta“ cognoscere possumus. Formam correptam „*nonagintă“ in carminibus epigraphicis non inveni.

De numerali „centum“ [1])

A. De orthographia

centu: Vox in „m“ exiens quando coalescit cum voce, cuius prima littera est „m“, „m“ semel scribitur [2]): „centu milia“ [3]), „centu mila“ [4]). Quibus cum compositionibus „dece milia“ [5]) comparari potest.

cent.: Suspensio numeri „centum“ est cent. [6]).

C [7]): Numerus „centum“, ut videri possit, per primam vocis litteram „C“ notatur. Cuius sententiae primum testimonium apud Suetonium in vita Augusti imperatoris c. 97 invenimus: „Ictu fulminis . . . prima nominis (Caesar) littera effluxit, responsum est centum solos dies posthac victurum, quem numerum „C“ littera notaret.“ Charisius [8]) in libro primo „Institutionis grammaticae“ in capite tertio „de litteris“ dicit: „ „C“ littera . . . nota . . . numeri, cum „centum“ significat“. Eadem verba Diomedes [9]) in „Artis grammaticae“ libro secundo in capite „de interrogatione litterarum“ exscripsit. Etiam Priscianus [10]) in opere „De figuris numerorum“ docet: „ „Centum“ . . . per principalem nominis litteram „C“ “. Laurentius Lydus [11]) in libro „περὶ μηνῶν“ narrat: „Τοῦ σίγμα στοιχείου, δι' οὗ τὸν ἑκατὸν ἀριθμὸν οἱ Ῥωμαῖοι σημειοῦνται - ἐστὶ γὰρ παρ' αὐτοῖς τὸ λεγόμενον κάππα μικρόν.“ Praeterea auctor quidam anonymus [12]) in opere „De litteris“ dicit: „Adverbium numeri „C“ plenissime fecit, ut „centum“, „centies“. Sed omnia ea iudicia veterum falsa sunt. Nota enim numeri „centum“ apud Romanos initio littera Graeca „Θ“ in usu erat. Paulatim nota Θ ad analogiam litterae principalis numeri „centum“ in C muta-

---

6) III 14237 = CE 1990,3 Pitunti in Dalmatia

1) Thes. III 823, cf. „centiceps“, „centimanus“ sim., „centuria“, „centurio“ sim. „centumgeminus“, „centumvir“ sim.

2) Diehl: „De M finali epigraphica“ p. 211

3) VI 16809, 29925 Romae

4) Rev. arch. 1914 I p. 469 Iader in Dalmatia

5) IV suppl. I 3340 XXVIII 25 Pompeis
III p. 961 in tabula plumbea Traguriensi, pag. I 6, saec. VI

6) Di 4545 Romae

7) Thes. III 2

8) Gramm. Lat. I 10,1 = Barwick 7,2

9) Gramm. Lat. I 424,9

10) Gramm. Lat. III 407,6

11) Lyd. mens. 1,21

12) Gramm. Lat. suppl. 302,19, cf. Maecian. distrib. 43 „cum „C“ „centum“ significaret“

batur[13]. Iam in inscriptionibus antiquioribus „C" pro „centum" occurrit, exempli gratia in senatus consulto de Baccanalibus[14], in lege repetundarum[15], in lege agraria[16], in Monumento Ancyrano[17] multisque aliis titulis posterioribus[18].

B. De sonis ac litteris

centu: De forma „centu" ante „m" iam in capite „de orthographia" verba feci. Etiam aliis litteris sequentibus centu[19] legimus, cuius vocis „m" infirma omissa est.

C. De re metrica

centu: „M" omissa syllaba altera ante consonantem positionem facere non potest: „vivere debueras, annis fere centu licebat"[20].

C: Eodem modo idem versus numerali „centu" per „C" notato legendus est: „vivere debueras, annis fere C licebat"[21].

De numerali „ducenti"

De sonis ac litteris

δocenti: Formam δocenti[1] ad analogiam numeralium vulgarium „dodeci" et „dodece" figuratam esse mihi persuasum est.

De numerali „trecenti"

A. De sonis ac litteris

tricenti: Aeque ac „tris" etiam tricenti[2] secundum „triginta" formatum est.

---

13) Leumann § 5 p. 45
14) I¹ 196 = I² 581 = X 104, 6. 9. 18 in agro Teurano, a. 186 a. Chr.
15) I¹ 198 = I² 583,24 ex Etruria. a. 123/122 a. Chr.
16) I¹ 200 = I² 585 a. 111 a. Chr.
17) Mon. Ancyr. 5,8
18) Di 4232 C Romae
XIV 170 Ostiae
XIV 2112,21 Lanuvii
VIII 270 Casis in provincia Byzacena
19) Di 1735 adn. Romae
XI 1603 Florentiae
VIII 403 suppl. 11511 = CE 1329,2 Ammaedarae in Byzacena
VIII 1246 Vagae in Africa proconsulari
VIII 4523 Zarai
Di 2096 A Sitifi
Inscr. Hisp. chr. suppl. 354 inter Caesarobrigam et Augustobrigam Lusitaniae orientalis
20) VIII 403 suppl. 11511 = CE 1329,2 Ammaedarae in Byzacena
21) VIII 11594 = CE 1328,2 Ammaedarae
1) Di 3177 B Antunnaci in Belgica, saec. VII/VIII („annus δocentos")
2) Di 3856 Romae

B. De syntaxi

ter centum: In carmine quodam epigraphico Germaniae superioris saeculi post Christum natum secundi ter centum pro „trecentis" legimus: „huic expletis ter centum ter denisque diebus invisae Parcae sollemnem celebrare diem"[3]).

De numerali „quadringenti"

De sonis ac litteris

quadragentis: In edicto Diocletiani (III p. 811) pro „quadringentis" quadragentis invenimus, quae forma ad analogiam numeri denarii „quadraginta" effecta est.

De numerali „quingenti"

De orthographia

δ: In titulis Hispanis christianis pro „D" persaepe littera Graeca δ in usu est ad aeram Hispanam significandam.

De numerali „sescenti"

De syntaxi

sexcentum: Non solum multiplicativa ut „ter", sed etiam cardinalia ut „sex" cum „centum" indeclinabili coniungi possunt ad numeralia centenaria exprimenda. In inscriptione enim metrica Hispana saeculi septimi hunc versum invenimus: „sexcentum decies era nonagesima nobem"[4]). Quibus de cardinalibus, ordinalibus, multiplicativis inter se permixtis Diehl[5]) in commentario de temporibus inscriptionum Latinarum christianarum veterum diligentissime egit; numeralia mira interpretatione notarum DCXCVIII explicat.

De numerali „septingenti"

De sonis ac litteris

septigentis: De „n" littera ante sonum gutturalem omissa iam sub forma „quique" pro „quinque" verba feci. Figura septigentis in edicto Diocletiani[6]) invenitur.

[3]) XIII 6808 = CE 1590,4 s. Mogontiaci, ca. a. 160
[4]) Di 1819,6 = CE 322,6 in Callaeciae regione, a. 661
[5]) Zur Datierung lateinischer altchristlicher Inschriften (Festschrift für Judeich) p. 124
[6]) III p. 809

De numerali „nongenti“

A. De sonis ac litteris

nungento: Formam nungento[7]) ex „*novencento“ ortam esse similiter ac „nuntius“ ex „*noventios“ et „nundinum“ ex „*novendinom“ explicare possumus[8]). Sed vocalem „o“ productam ante „n“ in syllabis in consonantem cadentibus sermone Latino vulgari in „u“ transire potuisse potius censemus. Cuius mutationis Prinz[9]) exempla tria profert.

B. De interpretatione

nungento, nongentum: In inscriptione quadam Ostiensi legimus „T. Flavio . . . nungento“[10]) et in titulo quodam Pompeiano „balneum Venerium et nongentum“[11]). De „nongentum“ in adnotatione tituli in corpore inscriptionum Latinarum scriptum est: „ „Nongentum“ in pariete est, cuius de interpretatione cum plane desperandum esse videatur, nescio an eo confugere debeamus, ut a scriptore archetypi verba, quae fuerint fortasse „numero centum“, corrupta esse statuamus“. Sed Mommsen vocem „nongentus“ accurate explicavit: „Intellege unum ex nongentis qui dicebantur, cf. Plin. h. n. 33, 2, 31 „nongenti vocabantur ex omnibus selecti ad custodiendas suffragiorum cistas in comitiis“.“ Ad „nongentum“ tituli Pompeiani Mommsen haec adnotavit: „Fieri potest, ut balneum aliquod nongentum dictum sit tanquam balneum iudicum vel equitum, id est elegantioribus destinatum, ut balneum iudicum Carthagine fuisse traditur“.

De numerali „mille“

A. De orthographia

meilia: Lucilius hanc scripturam numeri „mille“ in libro saturarum nono praescribit: „ „meille“ hominum, duo „meilia“, item huc „e“ utroque opus, „meiles“, „meilitiam“ “[1]). Qua scriptura „i“ productam enuntiandam esse docet. „Meille“ in titulis non inveni, sed meilia[2]) semel occurrit aetate Lucilii (cf. „veiginti“).

---

[7]) XIV 2630 = DE 7237 Ostiae
[8]) Lindsay III § 16
[9]) Prinz p. 67: „nun“ = „non“ III 8277,3 in Moesia sup.
„nungentesimus“ VI 32326 Romae, a. 204
„frú[ns]“ XII 3637 Nemausi, post a. 73
[10]) XIV 2630 = DE 7237 Ostiae
[11]) IV 1136 = DE 5723 Pompeis
[1]) Lucil. ed. Marx 358
[2]) I[1] 551 = I[2] 638 = X 6950 Pollae in Lucania, a. 132 a. Chr. (ibid. „miliarios“)

m i l. : Milium vocabulum saepe suspensione m i l.[3]) notatur, praecipue in titulis Africanis.

M: Inde a saeculo ante Christum natum primo nota M[4]) passim in titulis invenitur.

∞: Priscianus[7]) in opere „De figuris numerorum, quos antiquissimi habent codices" notam ∞ ita declarat: „ „Mille" secundum Atticos per X Graecam, sed ut differentia sit ad „decem", circumscriptis lateribus ∞." At Ritschl (Opusc. IV p. 704, 722) ∞ notam e littera Graeca Φ ortam esse demonstrat. In inscriptionibus ∞[6]) iam eadem aetate atque M occurrit.

B. De sonis ac litteris

I. De testimoniis grammaticorum veterum

Pompeius[7]) in „Commento" dicit: „De „mille" tractavit Plinius Secundus: „in numero singulari duplici „l" scribitur et non declinatur; in numero plurali unum „l" habet et declinatur, „milia", „milium", „milibus"."

Consentius[8]) in „Arte" docet: „Per detractionem fiunt barbarismi sic: litterae, ut siquis dicat „vilam" pro „villam", „mile" pro „mille"."

Sed Cassiodorius[9]) in libro „De orthographia" concedit: „ „Mille" numerus a quibusdam per unum „l" scribitur, quia „milia" dicimus, non „millia"; alii melius per duo „l" existimant scribendum."

Albinus[10]) in libro „De orthographia" censet: „Mille" per duo „l", licet „milia" per unum „l" scribatur."

II. De titulorum exemplis

m i l e, m i l a e: Ad analogiam numeri pluralis etiam in singulari una „l" scribitur et enuntiatur, cuius mutationis duo exempla in titulis exstant: m i l e[11]), m i l a e[12]).

---

3) VIII 12001 Henschir Bez in civitate Vazitana
VIII 15497 in provincia proconsulari, a. 225
DE 9362 Thamugade
DE 1406 Carthagine, a. 133
VII 1143 West Kilpatrik

4) I² 590,28 Tarenti, a. 89/62 a. Chr.
I¹ 206 = I² 593,20 in agro Pisticcino, a. 45 a. Chr.
X 5853 Ferentini
VII 1088 Carriden
VII 1121, 1122 Kirkintilloch

5) Gramm. Lat. III 407,7

6) I² 594 a. 44 a. Chr. prope Ursonem
I¹ 577 = I² 698 = X 1793 Puteolis

7) Gramm. Lat. V 172,13; cf. Gramm. Lat. V 185,16 et V 45,16

8) Gramm. Lat. V 392,7

9) Gramm. Lat. VII 166,7

10) Gramm. Lat. VII 304,31

11) XII 103 Aximae in Alpibus Grais

12) III 9450 Salonis

millia, millium, millibus: Secundum numerum singularem etiam in plurali „l" saepissime geminatur: millia[13]), millium[14]), millibus[15]) (cf. Vulg. Dan. 7,10).

mila: Forma mila[16]) in inscriptione quadam Illyrica occurrit. Numerum „milia" in illa regione primo in „*milja" posteaque in „mila" mutatum esse censemus.

milae: Exitus aperte enuntiatur in milae[17]) pro „mille" (cf. „quinquae"). Qua de mutatione Grandgent[18]) dicit: „The regular change of „ae" to „e" took place largely in Republican times in unaccented syllables". Modo inverso etiam „ae" pro „e" poni potuit, ut Grandgent alio loco[19]) scribit: „„Ae" was often used for „e" in inscriptions („benae" sim)."

b. De numeris ordinalibus

De numerali „primus"

A. De orthographia

preimus, preimum: Numerus „primus" e „*prismos" ortus est[1]); itaque scriptura „ei" nihil aliud quam „i" productam significat: preimus[2]), [p]reimum[3]) (cf. „veiginti", „meilia").

pri.: „Primus" litteris principalibus pri.[4]) notatur.

primi: In inscriptione quadam Capuae reperta hanc dictionem legimus: „d. m. Eugenio Aug. primi"[5]), quae sine dubio in „d(omino) n(ostro) Eugenio Aug(usto) primum" corrigenda est.

[13]) VI 5305, 8619, 34858 Romae
Rev. arch. 1924 II p. 406 Ostiae
XIV 2121 Lanuvii
XIV 3608 prope Tiburem, a. 45
IX 2345 Allifis
IX 6072 in via Appia
IX 6075 prope Aeclanum, a. 123
X 5056 Atinae, saec. I
XI 3003 in agro Viterbiensi
I¹ 701 Perusiae in Etruria (glans neque in CIL I² neque in CIL XI recepta est)
II 3479 prope Carthaginem Novam
XII 4393 Narbone
III 14195 Ephesi; in Mon. Ancyr. „sexies decies millia"

[14]) IX 1414 Trevici
Rev. arch. 1927 II p. 395 in Cyrenaica huius aevi
III 6687 Venetiis

[15]) I¹ 1012 = I² 1216 = VI 14338 Romae
IX 4978 Curibus
VIII 858 Henschir M'schergā

[16]) Rev. arch. 1914 p. 469 Iader

[17]) III 9450 Salonis

[18]) § 210

[19]) § 174, cf. § 244

[1]) Lindsay VI § 57

[2]) VI 1302 Romae

[3]) I¹ 204 = I² 589,25 Romae, saec. I a. Chr.

[4]) VII 510 Conderci

[5]) X 4492 = Di 1491 Capuae, a. 393, periit

B. De sonis ac litteris

perima: Eodem in titulo, qui perima[6]) continet, etiam „geloriam", „facoletatum" occurrunt. Anaptyxem vocalis in titulis Latinis inprimis ante sonos liquidos oriri Slotty[7]) demonstrat, cuius in editione inscriptionum Latinarum vulgarium „frateres", „omines", „reipubulice" inveniuntur.

prema: „I" producta sermone Latino vulgari plerumque non mutabatur. Tamen semel in inscriptione Gallica prema[8]) legimus. Alia exempla singularia litterae „ī" in „ē" mutatae apud Varronem[9]) („speca" pro „spica"), in Appendice Probi[10]) („delirus" non „deleras"), apud Gregorium[11]) („elex" pro „ilex") inveniuntur (cf. „vigenti").

C. De re metrica

prímus, príma: Vocalis radicis in carminibus epigraphicis semper producta est. Quantitas syllabae prioris interdum „i" longa exprimitur, exempli gratia „Ursus togatus vitreá qui prímus pila lúsí"[12]), „aetás príma fuit, morés sine fine probandí"[13]). Quattuor alia exempla numeri prímus apicati eiusque derivatorum Christiansen contulit in dissertatione „De apicibus et „i" longis inscriptionum Latinarum"[14]).

De numerali „secundus"

A. De orthographia

IIdas: Dictionem „transiet IIdas kalendas Novenbras" (XII 2654 = Di 2910 prope Albam Helvorum, saec. VI) „. . . secundas kal. Nov." i. e. „pridie k. N." interpretatus est Allmer, nisi est „idas k. N." i. e. „idibus Octobribus".

segunndu: In inscriptione quadam mutilata segunndu[1]) legimus. „G" pro „c" similitudine litterarum scripta est; „n" geminatam quadratarius errore incidit.

B. De sonis ac litteris

sac.: Vocalis „e" accentu carens interdum aperte pronuntiatur et scriptura littera „a" exprimitur: „mil(es) legion(is) sac(undae)[2])

---

6) V 6244 = Di 811 cum adn. Mediolanii, periit
7) Slotty: Vulgärlateinisches Übungsbuch 53–58, 60; cf. Lindsay II § 102, 154
8) XII 5787 apud Aquas Sextias
9) Grandgent § 200,3; Varro r. r. 1,48,2
10) Gramm. Lat. IV 198,19
11) Grandgent § 200,2; Greg. Tur. p. 118,13
12) VI 9797 = CE 29,1 s. Romae
13) VI 6976 = CE 1033,5 via Latina in vinea Aquariorum
14) Diss. Kiliae 1889, p. 14 s.
1) XIII 7814 Rigomagi
2) DE 9087 prope Aveiam

Pa(rthicae)". Cuius mutationis Dessau[3]) in indicibus inscriptionum selectarum quadraginta quattuor exempla enumerat, inter quae viginti formae verbi „consecrare" > „consacrare" et adiectivi „consecranus" > „consacranus" recompositione effectae sunt. E formis reliquis pleraeque ante „r" „a" pro „e" habent („ansar", „camara" sim.), sed etiam ante alias consonantes, exempli gratia „dromad(arii)"[4]), „Maxantius"[5]) sim.

s e q u u n d u s: Forma s e q u [u n d o] sive s e q u [n d o][6]) „qu" figurae pristinae „*sequondos" conservavisse potest. Sed alio quoque modo eam formam explicare nobis liceat. Lindsay[7]) in grammatica Latina de vocabulo „equus" dicit: „The grammarians of the first cent. a. d. were puzzled by the want of analogy between „ecus" nom. and „equi" gen., and reconstituted the nom. as „equus"." Eodem modo ad analogiam verbi „sequi" „sequundus" restitutum esse censemus.

s e c u d u s, s e c u d e: „N" ante consonantem omittitur in s e c u d u s[8]), s e c u d e[9]) (cf. „quique", „qaragita"). Qua de re Grandgent[10]) docet. „In both old and late inscriptions the nasal is often omitted altogether before a consonant." Diehl in indice inscriptionum Latinarum vulgarium (p. 164) „n" litterae ante „d" omissae haec exempla affert: „impedium", „comedo". „Bericudus", „Alexsadri", „Bladus", „idequi", „ispeldido", „eudem", „quado".

C. De syntaxi

s e c u n d o: In titulis Ravennatibus duobus „secundo" pro „iterum" ad annos consulares significandos positum est: „imp. dni Iustini pp. Aug. anno X eiusdem s e c u n d o anno VII"[11]) in lapide Ravennae posito, „secūn̄. p(ost) c(onsulatum) d(omini) n(ostri) Iustini" et „p(ost) c(onsulatum) secundo d(omini) n(ostri) Iustini"[12]) in inscriptione extra Ravennam posita. „Iterum" multo saepius inveniri consentaneum est.

D. De re metrica

s ĕ c u n d u s: Syllaba prima in carminibus epigraphicis semper correpta est, exempli gratia „annus erat vitae primus, mox deinde s e c u n d i liminibus rapuit me sibi Persephone"[13]), „utilior cunctis sententia nata s e c u n d a"[14]). Apices in „e" positi falsi sunt[15]).

---

[3]) DE III 2 p. 807
[4]) III p. 2328,71 Kazanlyk, a. 157
[5]) XIII 6238 prope Wormatiam
[6]) VIII 11796 Mactari
[7]) Lindsay IV § 135
[8]) XIV 2294 in agro Albano
[9]) Not. scav. 1902 p. 396 Romae
[10]) Grandgent § 306
[11]) XI 316 = Di 377 Ravennae, a. 574/75
[12]) XI 317 = Di 622 prope Ravennam, a. 569
[13]) VI 27060 = CE 1161,3 s. Romae
[14]) V p. 618,9 = CE 1422,11 Mediolanii
[15]) Christiansen p. 60: Sécundillae VI 15841 Romae, Sécundillá XII 2245 Gratianopoli

De numerali „tertius"

A. De orthographia

IIItio: Numerale IIItio[1]) pro „tertio" radice notata, terminatione exscripta in inscriptione Hispana saeculi septimi occurrit; cf. „IIdas" p. 91, „Xmo", „δXas" sim. p. 101.

B. De sonis ac litteris

tirtia: Assimilatio vocalium subest in tirtia[2]), nisi „i" vocalis syllabae primae „r" sono effecta est; cf. formas vulgares „Mircurius", „stircus".

tercio, tercium: „Tertius" numerus in linguis Romanensibus assibilatione afficitur[3]) (cf. Di III p. 308). Grandgent[4]) de ea mutatione haec dicit: „ „Ci" and „ti", in the second and third centuries, were very similar in sound ... In later school pronunciation „ci" and „ti" were sounded alike". Exempla epigraphica numeri „tertius", tercio[5]) et tercium[6]), Gallica sunt. Praeterea Grandgent multa alia exempla enumerat: „terminaciones", „concupiscencia", „iusticia", „definiciones", „ocio", „oracionem", „amicicia", „servicium" sim. Q. Papirius[7]) assibilationem accuratissime in libro „De orthographia" his verbis descripsit: „Iustitia cum scribitur, tertia syllaba sic sonat, quasi constet ex tribus litteris t, z et i, cum habeat duas t et i, sed notandum quia in his syllabis iste sonus litterae z inmixtus inveniri tantum potest, quae constant ex t et i et eas sequitur vocalis quaelibet, ut Tatius et otia, iustitia et talia."

tersio, tersiu: Assibilatio paulatim usque eo progrediebatur, ut affricata in fricativam mutaretur. Forma tersio[8]) in inscriptione Gallica, tersiu[9]) in titulo Africano occurrit. Grandgent[10]) figuras „observasione", „diposisio", „palasium", „presium", „rasio", „stasio", „servisium" adiecit.

tersu: Postremo sibilante praevalente „i" vocalis evanuit; „tertius" vox bisyllaba „tersus" facta est. Figura tersu[11]) Romana est; Grandgent[12]) nonnulla exempla similia contulit: „Zodorys" pro „Theodorus", „ampitζatru", „Vincentζus", quibus in omnibus formis syllabae singulae perierunt. Vocalem „i" non iam pronuntiari Pompeius[13]) in „Commento" affirmat: „Si dicas „Titius", pinguius sonat et perdit sonum suum et accipit sibilum."

---

1) Di 1551 A Tarifae, a. 646
2) Di 4756 Romae
3) Seelmann p. 320
4) Grandgent § 276
5) XIII 1515 = Di 4444 in agro Arvernorum
6) XII 5347 a = Di 212 adn. = Di 3176 C Narbone, a. 517
7) Gramm. Lat. VII 216,8
8) XII 2081 = Di 1672 Viennae, a. 540
9) VIII 21642 = Di 3272 Arbal in Mauretania Caesariensi, a. 470
10) Grandgent § 277 p. 118
11) Di 2817 C Romae („tersu decimu")
12) Grandgent § 277 p. 117
13) Gramm. Lat. V 104,6

t e s i a: „R“ consonantem „s“ sequente elidi posse demonstrat Seelmann [14]) et haec exempla vulgaria affert: „rusum“, „retrosum“, „introsus“, „Maspiter“, „supestites“. Quam mutationem Grandgent [15]) assimilatione consonantium „rs“ > „ss“ explicat; postea „s“ semel tantummodo scribebatur. Iam Velius Longus [16]) dicit in libro „De orthographia“: „„Dossum“ per duo „s“ quam per „r“ „dorsum“ quidam ut lenius enuntiaverunt. ac tota „r“ littera sublata est in eo quod est „rusum“ et „retrosum“.“ Dubitari non potest, quin numerale Gallicum saeculi sexti t e s i a [17]) pro „tertia“ e „tersia“ ortum sit (cf. supra).

t e r t u: Ad analogiam numeralium sequentium „quartus“, „quintus“, „sextus“ etiam „tertus“ oriri potuit, quae forma et numero syllabarum et terminatione „-tus“ ordinalibus sequentibus aequa est. Numerali vicino „quartus“ „tertus“ simillimum est, cum praeter terminationem „-tus“ etiam „r“ antecedens utrique formae communis sit. T e r t u [18]) in titulis duobus invenitur.

t e r t e o: Formam t e r t e o [19]) assimilatione vocalium explicare possumus. Sed etiam alia ratio eam figuram declarandi exstat. Probus enim in „Appendice“ praescribit: „brabium non brabeum“ [20]), „ostium non osteum“ [21]), „alium non aleum“ [22]), „musium non museum“ [23]). Quibus in exemplis „i“ ante vocalem terminationi declinationis antecedentem saepe aperte pronuntiatam videmus esse.

C. De syntaxi

t e r t i u s d e c i m u s: Compositionem t e r t i u s d e c i m u s sub ordinalibus denariis tractabo.

D. De re metrica

t e r t i u m: In carmine epigraphico, cuius metrum ionicum est, legimus „t e r t i u m muneris ante . . . diem defunctus obiit“ [24]). Quo in versu cum syllabae numerum legitimum excedant, „terzum“ pronuntiandum est, ut Buecheler adnotavit. Quo modo exemplis supra allatis assibilationis unum amplius additum est. In eodem versu „diem defunctus obiit“ fortasse „zem . . .“ legendum est.

---

14) Seelmann p. 329 s.
15) Grandgent § 291
16) Gramm. Lat. VII 79,4
17) XII 2187 = Di 3279 inter Viennam et Gratianopolim, a. 564
18) Di 158 Romae, saec. III
VIII 23586 = Di 1383 Mactari („tertu decimu“)
19) Inscr. Hisp. Chr. 304 Myrtili, a. 525
20) Gramm. Lat. IV 197,32
21) Gramm. Lat. IV 198,5
22) Gramm. Lat. IV 198,18
23) Gramm. Lat. IV 199,10
24) VIII 241 suppl. 11347 = CE 1521,7 ss. Sufetulae in provincia Byzacena

De numerali „quartus“

A. De orthographia

ϙϙ a r t u: In titulo quodam christiano Africano sonus labiovelaris „qu“ semper signo „ϙ“ iterato expressus est. Praeter ϙϙ a r t u etiam „ϙϙ inta“ et „re ϙϙ ievit occurrunt[25]).

q a r t o: „Q“ littera „u“ carens in titulo quodam christiano Romano occurrit: „q a r t o nonoas Iulias“[26]) (cf. „qaragita“).

c o u a r t a: In forma c o u [a r t a][27]) anaptyxis vocalis non subest, sed ea figura scriptura Graeca κουᾶρτα explicanda est. Rationum scribendi Graecarum pro syllaba Latina „qua-“, κουα-, κοα-, κω-, κο-, scriptura κουα- creberrima est[28]). In titulis Latinis christianis quoque hanc inscriptionem invenimus: „Κουαρτιωνις ἀννωρου ὀκτο, φιλιο βενεμερεντι, φηκερουν Κουατιο ἐτ Οὐικτωρια“[29]).

q u á r t u s: Numeri q u á r t u s Christiansen[30]) quattuor formas epigraphicas apicatas enumerat, item quattuor derivatorum ordinalis „quartus“. Quarum figurarum pleraeque in Gallia et Italia superiore inveniuntur. Sommer[31]) originem numeri „quartus“ ita derivat: „*qu̯tu̯r̥tós“ > „*tu̯ortos“ > „*quortos“ > „quartus“ > „quārtus“. Vocalem „a“ ante „r“ aliamque consonantem inter se coniunctas productam esse censet[32]). Sed explicationem, quam Walde in editione altera lexici etymologici Latini (p. 631) dedit, praefero, qui e forma principali Latina „*quatuortos“ dissimilatione consonantium „*quau̯ortos“, deinde contractione vocalium „quārtus“ factum esse dicit.

De numerali „quintus“

A. De orthographia

ϙϙ i n t a: In titulo quodam christiano Africano sonus labiovelaris „qu“ semper signo „ϙ“ iterato expressus est. Praeter ϙϙ i n t a etiam „ϙϙ artu decimu“ et „re ϙϙ ievit“ occurrunt (Di 1349 A prope El-Djem).

q i n t u, q i n t a: „Q“ pro „qu“ plena scriptam duobus in titulis inveni: q i n t u[1]), q i n t a[2]) (cf. „qattor“, „qaragita“).

q u ī n c t u s, q u ī n t u s: Christiansen[3]) quindecim exempla „I“ longarum formae pristinae q u i n c t u s eiusque derivatorum affert, numeri posterioris q u i n t u s derivatorumque exempla viginti septem;

---

25) Di 1349 A prope El-Djem
26) Di 3521 D Romae
27) VIII 23128 Kairuân
28) Eckinger p. 120 s.
29) Di 4500 Romae
30) Christiansen p. 52
31) Sommer § 299,4
32) Sommer § 83,5
1) V 1717 = Di 2841 B Aquileiae
2) XIII 1534 = Di 2912 adn. in agro Arvernorum, saec. VI
3) Christiansen p. 46

quae omnibus in regionibus imperii Romani inveniuntur. Vocalem „i" syllabae prioris productam esse Christiansen his verbis explicat: „„Quinque" vocabulaque a „quinque" derivata „I" longam exhibent, id quod „Queinctius" (X 5282) et linguae Romanicae ital. „cinque", hisp. „cinco", franc. „cinq" confirmant neque non Festi glossa haec (p. 254 M.): „quīncentum (= quingentorum) et producta prima syllaba et per c litteram usurpant antiqui, quod postea levius visum est ita ut nunc dicimus pronuntiari"." Quibus in verbis explicatio ipsa syllabae prioris productae deest, quae ita declaranda est: ante „-nct-" vocalis quaelibet correpta producebatur, cuius rei exempla praeter „quīnctus" sunt „iūnctus", „sānctus", „ūnctus"[4]. Cardinale „quīnque" vocalem productam postea a „quīnctus" > „quīntus" accepit (cf. „quinque").

B. De sonis ac litteris

quinctus: Formam vetustam quinctus eiusque derivata saepissime in titulis inveniri in capite „de orthographia" commemoravi. „Quinctus" ordinale e „*penqutos" ortum esse consentaneum est[5]. Haud scio an „quinctus" figura sit secundum „quinque" restituta aeque ac „sanctus" secundum „sancire", „functus" secundum „fungi", quae legibus linguae Latinae in „santus"[6], „*funtus"[7]) transire debebant[8].

De numerali „sextus"

A. De orthographia

sexset.: Sonus sibilans expressius significatus est in sexset.[6]) pro „sexta" (cf. „sexs").

sex., six.: Suspensiones pro „sextum" sunt fortasse sex.[2]), six.[3]) (cf. Di III p. 309 c).

sexm: Contractio orthographica sexm[4]) pro „sextum" est.

sezol: Error quadratarii forma sezol vel „sesoe" pro „sextos" videtur esse. Textus inscriptionis hic est: „cundetur tomolom Oriculn inno[c]inti et ouist in ppoe, quod facit m(ensi)s Octouer d. sezol"[5]); cf. hunc alium titulum eiusdem regionis: „deposi[cio e]ius, qoδ facit [m]insis Septembers δies IIIII."[6]).

[4]) Sommer § 83,3
[5]) Sommer § 299,5
[6]) cf. Di III p. 402
[7]) cf. Di 2798 A Romae: „difunta"
[8]) Sommer § 143,1
[1]) VII 913 Petrianis
[2]) V 8958 = Di 3454 subscr. Chieri, a. 488
[3]) IX 1067 = Di 3025 A Frigenti in agro Compsino, periit
[4]) VIII 17445 prope Hipponem regium
[5]) Di 3570 Antunnaci in Gallia Belgica, saec. VII/VIII
[6]) Di 3570 adn. Antunnaci

xexta: Assimilatio regressiva occurrit in xexta[7]) (cf. „xex"), nisi scriptura tantummodo est pro „sesta".

xesto: Metathesim consonantium invenimus in forma xesto[8]) aut scripturam pro „sesto" (cf. „xes").

six.: Haud scio an „e" vocalis similiter atque ante „rc" etiam „x" sequente in „i" transire potuerit. Velius Longus[9]) enim in libro „De orthographia" dicit: „„Mium" et „commircium" quoque per „i" antiquis relinquamus, apud quos aeque et „Mircurius" per „i" dicebatur". Praeter six.[10]) pro „sextum" exempla similia vocalis „e" ante „x" in „i" mutatae non inveni (cf. francogall. „six").

sestum, sesto, sesta, sestas: Consonantes „-cst-" in lingua Latina in „-st-" mutatae sunt, ut exemplo „*enloucstris" > „illustris" demonstratur. Forma optimae latinitatis „sextus" ad analogiam cardinalis „sex" restituta est, „sestus" autem figura vulgaris leges linguae Latinae secuta est[11]). In titulis formae [s]estum[12]), sesto[13]), sest[a[14]), sestas[15]) occurrunt (cf. „ses").

sexset.: Exemplum anaptyxis vocalis in forma sexset.[16]) pro „sexta" invenimus (cf. „perima").

De numerali „septimus"

A. De orthographia

sptima: Forma sptima[1]) „e" vocalem scriptura tantum amisisse mihi videtur, non pronuntiatione.

sebtima: Cum verbum „obtrectare" sim. etymologice „obtrectare", assimilatione consonantium „optrectare" scriberetur, etiam in voces consonantes „-pt-" primitivas continentes scriptura inversa „-bt-" invadere potuit: sebtima[2]). Figuram „*obtimus" in inscriptionibus non inveni, sed in titulo quodam Romano „obptimo"[3]) occurrit. Eadem in inscriptione Gruterus in corpore inscriptionum Romanarum „obtimo"[4]) emendavit.

---

7) XII 5869 inter Viennam et Gratianopolim
8) Di 4416 adn. Romae, a. 572
9) Gramm. Lat. VII 77,12
10) IX 1067 = Di 3025 A Frigenti in agro Compsino, periit
11) Sommer § 143,2 c
12) V suppl. ital. 366 = Di 4237 A prope Aquileiam
13) Rev. arch. 1928 II p. 375 in Algeria, a. 637 („anno bicesimo sesto")
14) XII 482 Massiliae, saec. VI
15) Rev. arch. 1928 II p. 375 in Algeria, a. 637 („sub die sestas idus")
16) VII 913 Petrianis
1) XII 5823 Arelate
2) VIII 23230 a Sufetulae in provincia Byzacena
3) VI 22981 Romae
4) Gruter CIR 850,10

siptimu: Assimilatio vocalium subest in forma siptimu[5]) (cf. „tertia").

setimo, setima: „P" et „t" in „tt" assimilantur; geminatio scriptura omittitur in setimo[6]), setima[7]). Alia exempla epigraphica „scritus" pro „scriptus", „otimo" pro „optimo", „otimi" pro „optimi" sunt[8]).

septumus, septumo, septumum, σεπτουμου: Ordinalium et superlativorum exitus „-emos" protoitalicus (cf. „septemus" sim. infra) sermone Latino in „-ŏmos" vel „-ŭmos" transiit. „Medius quidam „u" et „i" litterae sonus", ut ait Quintilianus[9]), scriptura exprimi non poterat, si notam a Claudio imperatore fictam transeamus. Quam ob rem „-umus" et „-imus" terminationes saepe inter se variabant, sed plerumque ita ponebantur, ut „-imus" post „a", „e", „i" vocales, „-umus" autem „o" vel „u" antecedentibus scriberentur. Tamen in inscriptionibus antiquissimis semper „-umus" occurrit, quam scripturam vetustiorem esse grammatici Latini testantur. C. Iulius Caesar rationem scribendi „-imus" introduxisse dicitur, sed iam saeculo ante Christum natum secundo exeunte „infimo"[10]) iuxta „infumo" invenitur[11]). Exempla epigraphica septumus[12]), septumo[13]), septum'um[14]), σεπτουμου (in titulo falso Pompeiano IV 46*) legem harmoniae vocalium non sequuntur aeque atque „decumus"[15]) et „-ensumus", sed in „ultuma"[16]) harmonia vocalium perfecta est.

septemo, septema: „I" vocalis correpta interdum aperte enuntiatur et in „e" transit: septemo[17]), septema[18]). Formas similes epigraphicas superlativorum „merentessemo", „karessemo" Sommer[19]) profert. Sed „septemus" etiam analogia ad „septem" explicari potest.

C. De syntaxi

septimu: In titulis christianis formae septimu ante kal. novem exempla occurrunt (Di III p. 308).

---

[5]) Rev. arch. 1905 II p. 199 = Di 4379 Romae
[6]) VIII 9815 = Di 3272 C Albulis in Mauretania Caesariensi, periit
[7]) VIII 12200 Sidi Amara in provincia Byzacena
[8]) Sommer § 134,3
[9]) inst. or. I 4,8
[10]) I¹ 199,6 = I² 584,6 prope Genuam, sed „infumo" v. 14 et 20
[11]) Sommer § 75
[12]) VI 129 Romae
XIV 2148 Ariciae
[13]) XI 2056 Perusiae
[14]) VI 8517 Romae
[15]) cf. p. 102
[16]) VI 16614 = I¹ 1051 = I² 1297 Romae
XII 915 Arelate
III 2722 Delminii
[17]) XIII 2356 = Di 4404 Luguduni, a. 448 („septe[mo]")
Di 2750 A adn. Antunnaci, saec. VII/VIII („[s]eptemo")
[18]) Di 2356 in vico, cui nomen est Lomello in Transpadana
[19]) Sommer § 57

De numerali „octavus"

A. De orthographia

o c u a: Forma o ç u a[1]) compendium est pro OC(TA)VA.

B. De sonis ac litteris

h o c t a v o: In titulo quodam Gallico figura cum „h" antecedente semel occurrit (cf. „hocto"): h o c t a v o[2]).

o t t a b u: Consonantes tenues inter se adaequantur: o t t a b u[3]). In edicto Diocletiani (III p. 828) assimilationem aequam invenimus in forma „lattucae" pro „lactucae".

o c t a o, o c t a u m, o c t a u: Litterae „v" inter vocales omissae exempla nominis ordinarii sunt o c t a o[4]), o c t a u m[5]), o c t a u[6]), quorum pleraque Gallica sunt. Quam elisionem litterae „v" creberrimam fuisse Probus in „Appendice" docet, nam praescribit: „flavus non flaus"[7]), „favilla non failla"[8]), „rivus non rius"[9]), „pavor non paor"[9]). Sed formae ut „octaus", „flaus", „rius" leges linguae sequuntur, et semivocalis „v" sermone urbano secundum genetivos „octavi", „flavi", „rivi" etiam in nominativo, dativo, accusativo casibus restituta est. Viam legitimam in formis „octaum", „octau" videmus, quas ex analogia „octao" sequitur[10]).

o c t a b o sim., o t t a b u: De betacismo, ut ita dicam, iam sub „nobe" et „biginti" verba feci. Exempla numeri „octavus" sunt o c t a b o[11]), o c t a b u[12]), o c t a b a[13]), o c t a b a s[14]), o c t a b. (Di 4145C adn. Romae), o t t a b u (Di 4036 Romae), cf. „Octabius"[15]) sim.

---

1) XII 2150 = Di 3553 inter Viennam et Augustum in Gallia Narbonensi
2) XII 2087 = Di 1215 Viennae, a. 559 (ibid. „hocsies")
3) Di 4036 Romae
4) XII 2193 = Di 1687 inter Viennam et Gratianopolim, a. 527
5) VI 25128 Romae
XII 2143 = Di 3579 = CE 765 Viennae
XIII 1986 Luguduni
XIII 3690 = Di 353 Treveris
6) VIII 20304 = Di 3718 Satafi, a. 349
VIII 28041 = Di 3954 Aquis Caesaris prope Thevestem
7) Gramm. Lat. IV 198,5
8) Gramm. Lat. IV 198,8
9) Gramm. Lat. IV 199,2
10) Sommer § 94,3, cf. Solmsen: Stud. z. lat. Lautg. 173 ss.
11) Inscr. Hisp. chr. 369 = Di 1430 in conventu Hispalensi, saec. VI ex.
XII 4083 = Di 2021 inter Nemausum et ostia Rhodani, a. 521
Esp. 669 Narbone, saec. VI
Inscr. Brit. chr. add. ad Hisp. 4 in territori Lucenensi, a. 925
12) Di 1321, 2796 A, 3515 C Romae
X 1366 = Di 1012 Nolae
VIII 21540 = Di 3052 B prope Minam in Mauretania Caesariensi
13) VI 9231 = Di 688 Romae, a. 545
IX 411 = Di 4677 Canusii in Apulia, a. 530
14) Di 1541 Romae, a. 457
15) p. 140

De numerali „nonus"

A. De orthographia

n o n $\overline{\text{o n}}$.: Suspensio „non." vel „$\overline{\text{non}}$." pro „nonas" passim invenitur. In titulo quodam Gallico „II n o n $\overline{\text{o n}}$. Decembrs"[16]) legimus; linea supra „$\overline{\text{on}}$" posita has litteras delendas esse indicari censet Hirschfeld.

n o., $\overline{\text{n o}}$.: Alia suspensio vocabuli „nonas" est n o., quae in tribus inscriptionibus Romanis occurrit: „V n o. Oct."[17]), „III n o. Apr."[18]), „III n o. Ma."[19]). Linea superposita est in titulo quodam Gallico saeculi sexti: „d. III $\overline{\text{n o}}$. $\overline{\text{Nob}}$."[20]). Compendia brevissma „n." et „ñ." passim inveniuntur.

n o n s: Ad contractiones vocabuli „nonas" pervenimus. In titulo quodam urbano saeculi quarti exeuntis „IIII n o n s Aug."[21]) legimus.

n ñ s, n n s: Linea aut litterae secundae aut toti contractioni superponitur: „VI n ñ s Mā(ia)s"[22]), „prd. $\overline{\text{n n s}}$ Octobres"[23]).

n n.: Contractio n n. „nonas" et „nonarum" significare potest, „nonas" in dictione „sb. d. V n(o)n(as) M(a)g(ia)s"[24]), „nonarum" in dictione „sub d. III n(o)n(arum) Septembrium"[25]).

$\overline{\text{n s}}$: Prima et ultima littera vocabuli „nonas" exprimuntur contractione $\overline{\text{n s}}$, quae bis invenitur: „d. III $\overline{\text{n s}}$ Iul."[26]), „IIII $\overline{\text{n s}}$ Maias"[27]).

n o n o a s: Errore quadratarii littera „o" post „n" alteram repetita est in forma n o n o a s[28]). Aliae dittographiae numeralium „treres", „dececem" sunt.

n o n.: Suspensionem n o n. pro „nonas" passim occurrere supra commemoravi. Sed in titulo quodam Gallico saeculi sexti n o n. non „nonas", sed „nono" significat. Textus inscriptionis „n o n. decino falendass"[29]) in „nono decimo kalendas" corrigendus est.

B. De sonis ac litteris

n o n i o: Forma n o n i o pro „nono" in titulo Africano (VIII 28047 in provincia proconsulari) secundum „tertio" figurata est.

---

16) XIII 2376 = Di 3562 Luguduni, a. 518
17) Di 2567 Romae
18) Di 2691 B b Romae
19) Di 3007 B Romae (bis)
20) Di 1166 A Gratianopoli, a. 520
21) Di 4356 Romae, a. 381
22) Di 2030 b Carmonae
23) Di 2055 Hr. Akhrib prope N'gaous e regione Cirtae oppidi, a. 580
24) Di 1447 A Alcaracejos, a. 592
25) VI 9380 = Di 356 A Romae, a. 571
26) Di 1473 Myrtili, periit, a. 564
27) Di 2030 b Carmonae
28) Di 3521 D Romae
29) XII 2187 = Di 3279 inter Viennam et Gratianopolim, a. 565

C. De declinatione

νωνες: Si dubitamus, dictio νωνες Σ-π-[30]) utrum „nonas Septembres“ an „nonis Septembribus“ explicanda sit, vocalem „ε“ multo saepius pro „ī“ Latina quam pro „ā“ in inscriptionibus Graecis positam esse observare debemus. Eckinger duo exempla scripturae „ε“ pro „ā“ [31]), sed novem pro „ī“ [32]) enumerat. Itaque explicatio „nonis Septembribus“ praeferenda est.

nona: Litterae „s“ infirmae in forma „nonas“ quinque exempla inveni, quorum tria Romana sunt, Africana duo: „nona M[a..]“ [33]), „III nona Ienua[ria]“ [34]), „IIII nona (Octob.)“ [35]); „nona Octo.“ [36]), „nona Maias“ [37]).

noni: Etiam figurae „nonis“ „s“ littera semel infirma est: „IIII noni Ag.“ [38]).

nony: Exemplum ultimum nony non ad „nonas“, sed ad „nonum“ spectat. In titulo quodam Romano legimus: „deposione nony kl. Iunias“ [39]). Nony pro „nonu“ atque id pro „nonum“ scriptum esse constat.

D. De syntaxi

nonu: Formae nonu ante „kal.“ Diehl in indice inscriptionum Latinarum christianarum (p. 308) exempla sex enumerat.

De numerali „decimus“ (cf. Thes. V 171)

A. De orthographia

de$\overline{\text{cm}}$: Contractio orthographica de$\overline{\text{cm}}$ pro „decimum“ in carmine quodam epigraphico Hispano saeculi septimi occurrit: „tertii post de$\overline{\text{cm}}$ regni comes inclitus anno“ [1]) (cf. „sexm“).

Xmo: Ordinale partim notatum in titulo Gallico saeculi sexti legimus: „obiet Xmo kal. Novembres“ [2]) (cf. „III tio“).

δXas: Ad numeros minores aerae Hispanae significandos adverbia in „-is“ exeuntia plerumque in usu sunt, sed ad numeralia denaria ordinalia in „-as“ terminantia. Exemplum numeri „decimas“ partim notati in inscriptione quadam Hispana saeculi quinti invenimus: „era δXas“ [3]) (cf. „δLXXas“ [4])).

---

30) Di 3316 A Romae
31) Eckinger p. 11
32) Eckinger p. 37 s.
33) Di 4146 F adn. Romae, periit, a. 430
34) Di 2952 C adn. Romae
35) Di 3534 Romae
36) VIII 21570 = Di 1108 Alae miliariae in Mauretania Caesariensi, a. 422
37) VIII 23020, 16 = Di 3998 adn. Hadrumeti
38) Di 3998 A d Hadrumeti
39) Di 3051 Romae
1) CE 322,5 = Di 1819,5 (cf. Di III p. 616) in Callaeciae regione, a. 661
2) XII 935 = Di 2891 A adn. Arelate, a. 530
3) Di 1436 Myrtili, a. 472
4) Di 1436 adn. Emeritae, a. 532

deecima: Lapicidam, qui deec(imae)[5] incidit, syllabam primam producere voluisse verisimile non est. Haud scio an geminatione vocalis „e“ accentum significare voluerit (cf. „viciinti“). Mommsen ad glandis inscriptionem „leg(ionis) deec(imae)“ adnotavit: „Vide ne falsa haec sit; nam „ee“ pro „e“ brevi nullo modo ferri potest.“ In editione altera voluminis primi corporis inscriptionum Latinarum inter glandes (p. 559—564, n. 847—888) titulus receptus non est.

decumus, decumo, decuma, decumam, decumas: De „-imus“ et „-umus“ terminationibus inter se variantibus sub „septumus“ verba feci. Exempla formae „decumus“ sim. thesaurus linguae Latinae septem continet, sed ego decem inveni: decumus[6]), decumo[7]), decuma[8]), decumam[9]), [de]cumas[10]), quae omnia Italica sunt e temporibus prioribus. De usu formae „decumus“ in codicibus in thesauro scriptum est: „In „i“ aut „u“ scribendo vel optimi codices sibi non constant.“

decemo, decema: Omnia exempla formarum in „-emus“ exeuntium Gallica saeculi quinti et sexti sunt: decemo[11]), decema[12]) (cf. „septemus“).

decem.: Suspensio figurae „decemum“ decem. est in dictione „octaum decem. kalendas“[13]), nisi contra regulam numerus est cardinalis.

decmus, decmo: Vocalis inter „c“ et „m“ vocabuli „decimus“, qui accentu caret, cum semper fuerit brevis, celeriter loquendo elidi potuit[14]): decmus[15]), decmo[15]).

decmeu: Forma decmeu[16]), cuius terminatio correpta videtur esse, ad figuras antecedentes „decmus“, „decmo“[17]) spectat, nisi metathesi litterarum „e“ et „m“ ex „decemu“ ortam esse censemus.

---

5) I¹ 706 ex loco incerto (cf. Eph. ep. VI 120)
6) XIV 3676 Tiburi, saec. II
XIV 3541 Tiburi
7) VI 24659, 34153 Romae
CE 93,1 in Umbria
8) VI 6150 Romae
I¹ 1290 = I² 1805 = IX 3569 = CE 5 Barzani in Vestinis („[de]cuma“)
IX 4071 a = CE 5 adn. Carseolis („[dec]uma“)
I¹ 542 = I² 632 = IX 4672 = CE 248,1 Reate
I¹ 1175 = I² 1531 = X 5708 Sorae
9) X 3956 prope Capuam
10) IX 3569 in pago Fificulano
11) XIII 2356 = Di 4404 Luguduni, a. 448 („septe[mo] [de]cemo“)
XIII 2412 = Di 2024 Luguduni
XIII 1503 = Di 2913 in Aquitania, a. 530/31
12) XII 1501 = Di 1213 Vasione, periit, a. 536
XII 2091 = Di 4728 adn. Viennae („dεcεma“)
XII 5347 a = Di 212 adn. = Di 3176 C Narbone, a. 517
XIII 2412 = Di 2024 Luguduni (cf. Nouv. rec. 5)
13) XIII 3690 = Di 2024 Treveris
14) Sommer § 86
15) I¹ 821 = I² 1014 = VI 29793 Romae
16) XII 2079 = XIII 2387 = Di 1687 adn. St.-Alban de Bron
17) cf. „vicesma“

decino: Ad analogiam numeri „nonus" littera „n" etiam in numerum denarium translata est: decino[18]). Praeter „unus" et „nonus" fortasse numeri quoque distributivi eam formam effecerunt. Temporibus medii aevi in Hispania „deceno", in Gallia cisalpina „deseno" in usu erat.

decna: Aeque ac „decimus" etiam „decinus" syncopam vocalis mediae pati potuit. Decna[18]) in eodem titulo Gallico occurrit atque „decino".

C. De syntaxi

decem: Pro ordinali „decimum", „decimo" interdum cardinale decem ponitur cum ordinalibus minoribus coniunctum. Dies mensis semel hoc modo significatur: „octaum decem kalendas"[19]) (cf. p. 102). In carmine quodam epigraphico legimus „in sexto ac decem ascende(n)s deposui hanc anima"[20]).

decimu: Inter dierum numeros perscriptos, qui praecedunt „kal.", formae decimu exempla quattuor, „decimo" vel „Xmo" totidem in titulis christianis inveniuntur (Di III p. 308).

De numerali „undecimus"

A. De sonis ac litteris

undecumum: Forma vetustior undecumum in carmine epigraphico Romano invenitur: „undecumum me non licuit perducere annum"[1]).

B. De syntaxi

undecimu: Ante „kal." undecimu in titulis christianis ter occurrit (Di III p. 308).

De numerali „duodecimus" (cf. Thes. V 2250)

A. De sonis ac litteris

dudecema: Vocales „u" et „o" accentu carentes iam pridem in lingua Latina in „ū" coaluerunt, ut numero „ducenti" demonstratur, ita etiam aetate latinitatis vulgaris: dudecema[2]).

dodecimu: „Uo" in „ō" quoque contrahi posse sub „dodece" demonstravi: dodecimu[3]).

duodecum(a): In titulo quodam Romano legimus: „iuris huius monum. C. Rammi Conopis et . . . dimidium et duodecum(a), Allo-

---

[18]) XII 2187 = Di 3279 inter Viennam et Gratianopolim, a. 565
[19]) XIII 3690 = Di 353 Treveris
[20]) X 5020 = CE 1084,4 Venafri
[1]) VI 7898 = CE 1058,4 Romae
[2]) XII 2654 = Di 2910 prope Albam Helvorum, saec. VI (ibid. „indicciune")
[3]) V 1741 = Di 1361 Aquileiae

niae . . . pars quarta, Proculeiae . . . pars VI"[4]. „Duodecum." scribitur propterea, quod pars duodecima hereditatis terminus technicus q. d. vetustus erat.

duodecema, dudecema: De exitu „-ema" formarum duodecema[5], dudecema[6] numeralia „septemo", „septema", „decemo", „decema" comparari possunt.

B. De syntaxi

bis sextus[7]: In thesauro linguae Latinae legimus: „„duodecimus" in versibus exprimitur per bis sextus", sed in carminibus epigraphicis huius dictionis exempla non inveni.

duodecimo calendas: In titulo quodam Aquileiensi dictio creberrima „duodecimo calendas Novembrs."[8] occurrit.

duodecimus Decembris: De attractione casus nominativi agitur in dictione „depositus duodecimus Decembris"[9]. Dies hic more fere nostro numerari observandum est.

C. De re metrica

dŭōdecimum: Omnes syllabae numeri „duodecimus" natura correptae sunt, sed in versu hexametro „fletus duodecimum [cum Ianus sumeret ortum], conditus Arbitio co[nsul cum duceret annum]"[10] numerale „dŭōdecimum" pronuntiandum est.

De numerali „tertius decimus"

A. De sonis ac litteris

tertu decimu, tersu decimu: De formis tertu decimu[11] et tersu decimu[12] sub numerali „tertius" egi.

B. De syntaxi

tertius et decimus: Copula „et" inter numeralia „tertius" et „decimus" infigitur in versu „tertius et decimus gaudens hanc viderat annus"[13].

tertius ac decumus: Pro „et" copulam „ac" legimus in versu „tertius ac decumus invidit lumina vesper" (X 2752 = CE 1053,4 Puteolis).

tertio post decimum: Dictio rarior invenitur in versu „tertio post decimum Augusti numero mens(is) . . . praefinivit saeculi diem" (III 9527 = CE 719,9 s. = Di 79 Salonis).

---

[4] VI 15056 = DE 8297 Romae
[5] Rev. arch. 1922 II p. 399 prope Gratianopolim
[6] XII 2654 = Di 2910 prope Albam Helvorum, saec. VI
[7] cf. Thes. II 2010,16 ss.
[8] V 1646 = Di 446 Aquileiae
[9] X 4495 = Di 3188 Capuae, periit, a. 517
[10] CE 660,5 s. = Di 2451 via Ardeatina, a. 355
[11] VIII 23586 = Di 1383 Mactari
[12] Di 2817 C Romae
[13] V 6734 = CE 782,8 = Di 1732 Vercellis

De numerali „quartus decimus"

A. De orthographia

ϛϛ artu δecimu: Notatione digna scriptura ϛϛ artu δecimu[14]) est in inscriptione quadam Africana.

quartu X: Numero compositi partim perscripti, partim notati quartu X exemplum in inscriptione Gallica (XII 1504 = Di 2897 Vasione, periit) occurrit.

B. De syntaxi

decimo quartove: Mira compositio decimo quartove[15]) pro „quarto decimo" in titulo Hispano legitur. Haud scio an lapicida pro „quartove" „quartoque" incidere voluerit in versu „obiit Iunias decimo quartove calendas".

De numerali „quintus decimus"

A. De sonis ac litteris

quintu decmeu, quinto decemo: Formas quintu decmeu et quinto decemo sub ordinali „decimus" tractavi.

B. De syntaxi

quintum et decimum: Coniunctio „et" in inscriptione quadam Romana adicitur: quintum et decimum; sed in eodem titulo etiam „sextum decimum" et „septimum decimum" occurrunt. Cum inscriptio metrica sit, „quintum et decimum" versui melius adaptatur: „quintum annum et decimum Narcissus flore iuventae hoc iacet abreptus conditus in tumulo"[16]), sed „hic septimum decimum frumentum publicum accepit, sextum decimum [quod afuit] perdidit" in subscriptione.

ter quintus: Ratio multiplicativa apud ordinalia quoque adhiberi potest, ut docet versus „annus ut accedat, ter mihi quintus erat"[17]).

De numerali „sextus decimus"

A. De orthographia

Xϛ decimo: Ordinale et notatum et partim perscriptum Xϛ decimo in inscriptione Gallica legimus (XIII 2454 = Di 3565 A apud Ambarros, periit, ca. a. 500).

---

14) Di 1349 A prope El-Djem

15) Inscr. Hisp. chr. 86 = CE 722,6 = Di 1695 in civitate Gaditana, a. 649

16) VI 10226 = CE 1119,1 s. Romae, saec. I

17) VI 5534 = CE 1035,2 Romae

B. De syntaxi

sextu decimu: Ante „kal." sextu decimu bis invenitur (Di III p. 309).

sextum decimumque: Metri causa particula „que" affigitur in versu „[hinc me] igitur nosces sextum decimumque tulisse [annu]m"[18] (cf. „decimo quartove").

sexto ac decem: Ad formam „sexto decimo" significandam ordinale „sexto" cum cardinali „decem" coniunctione „ac" copulatur in versu „in sexto ac decem ascende(n)s deposui hanc anima"[19] (cf. p. 101).

bis octona: Dictio „bis octona luce" pro „sexto decimo die" in carmine quodam epigraphico Galliae invenitur: „iamque bis octona Septembrem luce movebat nomen Messalae consulis annus agens"[20].

De numerali „septimus decimus"

A. De sonis ac litteris

septemo decemo: De exitu „-emus" pro „-imus" iam sub ordinalibus „septimus" et „decimus" egi. Forma septe[mo de]cemo[1]) in inscriptione Galliae occurrit.

B. De syntaxi

I. De testimoniis grammaticorum veterum

Charisius[2]) in libro primo „Artis" haec dicit: „Septimum decimum" antiqui dixerunt, quoniam observabant, ut minores numeros prius ponerent; sed iam exoluit."

Priscianus[3]) in opere „De figuris numerorum, quos antiquissimi habent codices" ordinem „septimus decimus" permittit, sed numeralibus denariis enumeratis adicit: „Nam licet dissoluta compositione diversis accentibus ea proferentes mutare ordinem, quomodo et apud Graecos, et dicere „decimus et septimus" pro „septimus decimus"." Ordinem inversum hoc numero ortum esse verisimile est, cum sub cardinalibus Priscianus non „septendecim", sed „decem et septem" proferat.

---

18) X 2311 = CE 420,19 s. Puteolis
19) X 5020 = CE 1084,4 Venafri
20) XIII 2372 = CE 1365,25 = Di 46 Luguduni, periit, a. 506
1) XIII 2356 = Di 4404 Luguduni, a. 448
2) Gramm. Lat. I 72,21 (Barwick 91,25 „septem decem")
3) Gramm. Lat. III 413,14

septimus et decimus: Ordinem inversum in titulis non inveni. Aeque ac „tertius et decimus" et „quintum et decimum" etiam septimus et decimus in carmine quodam epigraphico metri causa scriptum est: „quem finit annus septimus et decimus" [4].

De numerali „duodevicesimus"

A. De sonis ac litteris

octabu decimu: De betacismo [5] formae octabu decimu [6] sub numero „octavus" verba feci.

B. De syntaxi

octavus decimus, octavum decimum, octabu decimu: Priscianus formam „duodevicesimus" loco allato non affert, sed „octavus decimus", quam in titulis quater legi: octavus decimus [7], octavum decimum [8], octabu decimu [9] (cf. „decem et octo" sim.).

octaum decem: Ordinali cardinale adiectum est, nisi „decem." suspensionem pro „decemum" esse censemus: octaum decem [10] (cf. p. 102 et 103).

octavom et decumum: In carmine quodam epigraphico versum legimus „octavom et decumum f[lo]ri s[i]m[ilis tulit annum]" [11]. Similiter formata est compositio „vicensimum et octaum" [12].

De numerali „undevicesimus"

A. De sonis ac litteris

undevicensimus: De forma undevicensimus (III 411 Smyrnae, periit, a. 139) confer „vicensimus".

---

4) XI 3163 = CE 1151,4 in agro Falisco
5) cf. „biginti"
6) Di 3515 C Romae
Rev. arch. 1924 II p. 388 Carthagine
7) IX 5566 = CE 1560 B 5 apud Tolentinates Picenos
8) Rev. arch. 1904 II p. 309 Praeneste
9) Di 3515 C Romae
Rev. arch. 1924 II p. 388 Carthagine
10) XIII 3690 = Di 353 Treveris
11) CE 1169,5 Teate Marrucinorum
12) XIII 1986 Luguduni

B. De syntaxi

nono decimo: Priscianus[13]) in libro „De figuris numerorum“ non formam „undevicesimus“, sed solam „nonus decimus“ praescribit, quae in titulo quodam Romano saeculi quinti legitur: nono decimo[14]).

non. decino: De forma „decino“ in compositione non. decino (XII 2187 = Di 3279 inter Viennam et Gratianopolim, a. 565) sub ordinali „decimus“ egi.

De numeris ordinalibus in „u“ exeuntibus, qui ad dies significandos positi sunt

Ad diem mensis significandum „kal.“, „id.“, „non.“ ablativo vel accusativo numeri ordinalis antecedente „sub die“ vocabulis additis vel omissis scribuntur. „M“ finalis infirma accusativi saepe omittitur. Qua de re Diehl in dissertatione „De „M“ finali epigraphica“[15]) titulos Gallicos tractans hoc dicit: „Locis dubiis sextum casum, non quartum interpretari debemus.“ Ablativum in Gallia praevaluisse comprobat[16]); certi ablativi enim in titulis Gallicis occurrunt plus 40. Prinz[17]) in dissertatione „De „O“ et „U“ vocalibus inter se permutatis in lingua Latina quaestiones epigraphicae“ de dictionibus „(die) tertiu kal.“ sim. egit: „In titulis ethnicis exempla non exstant; at in titulis christianis haec dictio saepe occurrit[18]), quod christiani diem mortis vel depositionis significare solebant. Omnino obviam fiunt . . . accusativi certi quinquies, „u“ terminationes 36ies . . . Exempla aetatis exstant inter annos 291 et 593, pleraque autem occurrunt saeculo quarto exeunte et quinto ineunte.“

De numerali „vicesimus“

A. De orthographia

vícensimum: Prima syllaba numeri „vīcesimus“ producta est (cf. „vīginti“), cum ordinale, ut Sommer putat, ex „*u̯eikm̥tstm̥mos“ ortum sit[1]). Alii (Walde Wb² p. 836, Ernout-Meillet p. 1065) syllabam primam „vĭ-“ fuisse existimant. Formam apicatam vícensimum in carmine quodam epigraphico inveni: „barba deposita peragens tertium et vícensimum annum“[2]).

---

[13]) Gramm. Lat. III 413,9
[14]) VI 1767 Romae, a. 438 (ethn.)
[15]) Diehl M p. 274
[16]) Diehl M p. 54
[17]) Prinz p. 123
[18]) Di Ind. p. 307 ss.
[1]) Sommer § 313
[2]) CE 1948,2 ad viam Salariam

B. De sonis ac litteris

vicensumus sim.: Formam antiquissimam „vicensumus“ tribus in titulis legimus: vicensumus[3]), vicensumum[4]), vicensumam[5]) (cf. „septumus“, „decumus“). Littera „n“ diutius conservata est quam „u“; figura „*vicesumus“ enim in inscriptionibus non invenitur.

vicesma: Syncope „i“ vocalis in titulo vetustissimo occurrit: vicesma[6]) (cf. „decmus“).

vicensimus sim.: Saepissime formas antiquiores cum „n“ conservata in titulis legimus. E libris manuscriptis Neue[7]) multa exempla profert. Figuram „n“ continentem vetustiorem esse forma, quae supra commemorata est, Indogermanica „*u̯eikm̥̑tstm̥mos“[8]) vel „*u̯īkm̥̑tstm̥mos“[9]) probatur. In titulis haec exempla inveni: vícensimus[10]), vícensimum[11]), vicensima[12]), vicensimae[13]), vicensim.[14]), vicens.[15]), vicensumus[16]), vicensumum[17]), vicensumam[18]).

bicesimo: Betacismum, ut ita dicam, legimus in figura bicesimo[19]) (cf. „biginti“).

vigesimum, vigesimo: Ad analogiam numeri „viginti“ ortae sunt formae vigesimum[20]), vigesimo[21]), nisi C et G litteris simillimis effectae sunt.

De numerali „tricesimus“

A. De orthographia

tricénsim.: In lingua Latina omnes vocales ante „ns“ et „nf“ producuntur, itaque etiam exitus ordinalium maiorum „-ēnsumus“ > „-ēsimus“ semper „ē“ producta enuntiatur, quae res apice superposito expressa est in forma tricénsim.[1]).

---

3) II 3871 = CE 978,1 Sagunti
4) VI 33473 = CE 1882,1 Romae
5) I^1 199 = I^2 584,27 = V 7749 prope Genuam, a. 117 a. Chr.
6) I^1 187 = I^2 37 = VI 29 add. 30687 ex loco incerto
7) Neue II^3 p. 314—316
8) Sommer § 313
9) Walde lat. Wb.^{2} p. 836, Ernout-Meillet dict. p. 1065
10) VI 7872 = CE 971,1 Romae
11) CE 1948,2 ad viam Salariam
XIII 1986 Luguduni
12) VI 10248 Romae
13) VI 10229,53 Romae, a. 108
14) X 5398 Aquinci, saec. III
15) X 3875 Capuae
16) II 3871 = CE 978,1 Sagunti
17) VI 33473 = CE 1882,1 Romae
18) I^1 199 = I^2 584,27 = V 7749 prope Genuam, a. 117 a. Chr.
19) Rev. arch. 1928 II p. 375 in Algeria, a. 637
20) VIII 9642 = CE 1603,5 Oppido Novo Mauretaniae Caesariensis
21) VIII 20600 Tocqueville, a. 359
1) VI 22150 Romae

B. De sonis ac litteris

trigensimis: Ad analogiam cardinalis „triginta“ et ordinalium „quadragesimus“ sim. forma [t]rigensimis[2]) orta est (cf. „vigesimum“).

tricensimus sim.: Aeque ac „vicensimus“ sim. etiam tricensimus sim. cum „n“ conservata saepe invenitur, veluti tricensimu[s][3]), tricensimo[4]), tricensima[5]), tricensimae[6]), [t]rigensimis[7]); cf. supra tricénsim.[1]).

C. De syntaxi

ter decimo: Adverbium numerale et numerus ordinalis inter se multiplicantur in versu „terdecimóqe die [pe]rdidit orba satum“[8]) (cf. „bis sextus“, „ter quintus“), nisi „terdecimo“ dictio brevis metro adaptata numeri „tertio decimo“ est.

De numerali „quinquagesimus“

De sonis ac litteris

quinquagensimus sim.: „N“ conservata est in formis quinquagensimus[9]), quinquagen[sima][10]), quinquagins.[11]) (cf. „vicensimus“ sim.).

quinquagins.: Sonus „i“ syllabae antepaenultimae ex numero cardinali translatus est in [q]uinquagins.[11]).

De numerali „sexagesimus“

De sonis ac litteris

sexagensimi: Nasalem retentam videmus in [s]exagensimi[12]) (cf. „vicensimus“ sim.).

De numerali „septuagesimus“

De re metrica

septuagesimo: In hendecasyllabo „post septuagesimo numero tempus“[13]) numerale „septuagesimo“ pronuntiare debemus.

---

2) XII 1798 = CE 1743,4 = Di 2022 inter Valentiam et Viennam
3) XII 840 = CE 1137,1 Arelate
4) VI 751 b Romae, a. 376 (ethn.)
5) II 518126 prope Aljustret in Lusitania
6) III 6671 prope Berytum
7) XII 1798 = CE 1743,4 inter Valentiam et Viennam
8) VI 27140 = CE 1163,4 Romae
9) VI 32326,13 Romae, a. 204 (ibid. „nungentensimus“)
10) II 5064 Illiberi, saec. II
11) XIII 2440 Luguduni
12) VI 32326,15 Romae, a. 204 (ibid. „sescenten[simi]“)
13) VIII 11597 = CE 1515,1 Ammaedarae

De numerali „octogesimus“

De sonis ac litteris

octagensima: Cum plurimi numeri ordinales denarii in „-agesimus“ exeant, etiam ordinale numeri „octoginta“ illis adaequatum est: octagensima[14]. Cui formae cardinale „octaginta“, quod in edicto Diocletiani invenitur, comparari potest. Praeterea in forma „octagensima“ littera „n“ servata est (cf. „vicensimus“ sim.).

De numerali „nonagesimus“

De re metrica

nonagesima: Syllabae primae numeralis „nonagesimus“ natura productae sunt, sed in versu hexametro malo „sexcentum decies era nonagesima nobem“[15] vocabula ultima contra leges linguae aut „ĕră nōnāgesimă nōbem“ aut „ērā nŏnăgesima nōbem“ legenda sunt.

De numerali „centesimus“

A. De sonis ac litteris

centensimo, centensima: Denariorum exitus „-esimus“ in ordinalia centenaria analogia translatus est. Etiam hic „n“ pristina nonnumquam conservata est: centensimo[16], centensima[17] (cf. „vicensimus“ sim.).

B. De syntaxi

centeno console: In carmine quodam epigraphico legimus: „sed Maria longum vitae c(u)rs(u)m centeno console duxit“[18]. Explicandum puto esse „. . . usque ad centesimos consules i. e. usque ad centesimum annum duxit“.

De numerali „sescentesimus“

De sonis ac litteris

sescentensimi, sescentensima: In titulis duobus saeculi tertii et septimi post Christum natum sescenten[simi][19] et sescentensima[20] invenimus (cf. „vicensimus“ sim.).

---

14) Ce 721,11 = Di 274 in Cordubensi regione, a. 642 (ibid. „sescentensima“)
15) CE 322,6 = Di 1819,6 (cf. Di III p. 616) in Callaeciae regione, a. 661
16) VI 32323,25 Romae, a. 17 a. Chr.
17) Not. scav. 1907 p. 432 = Rev. arch. 1908 II p. 344 Feltriae, a. 323
18) XIII 2386 = CE 711,2 = Di 1676 Luguduni, a. 552, cf. Mart. VIII 45,4
19) VI 32326,15 Romae, a. 204 (ibid. „[s]exagensimi“)
20) CE 721,11 = Di 274 in Cordubensi regione, a. 642 (ibid. „octagensima“)

De numerali „nongentesimus“

De sonis ac litteris

nungentensimus, nungentesima: In commentario ludorum saecularium septimorum forma nungentensimus[1]) (cf. „vicensimus“ sim.), in titulis duobus Hispanis nungentesima[2]) occurrit. „O“ in „u“ temporibus diversis mutatam esse apparet, cum titulus Romanus iam initio saeculi tertii scriptus sit, sed tituli Hispani saeculo decimo. De causis mutationis sub „nungento“ verba feci (cf. „nundinum“).

De numerali „millesimus“

De syntaxi

millena: Pro ordinali „millesima“ numerale distributivum singulari positum semel inveni (cf. „bis octona luce“, „centeno console“): „era millena“[3]).

De numeris cardinalibus et ordinalibus inter se variantibus

Nonnullis in titulis cardinalium et ordinalium constructionem permixtam invenimus, i. e. interdum ordinalia pro cardinalibus, cardinalia pro ordinalibus posita sunt. Secundum tempora indicata quinque partes discernendae sunt: de horis, de diebus, des mensibus, de annis, de aera.

A. De horis

In titulo quodam Africano legimus „bixit anos qaragita, meses ceqe, ora setima“[4]) et in inscriptione Romana „vixit annis XX, diebus X, ora prima“[5]). Etiam in titulo altero numeros notatos certe „viginti“, „decem“ explicare debemus. Ordinale horae appositum tempus mortis accuratius indicare videtur. Constructiones vocabulis „mortuus est“ sive „mortua est“ silentio supplendis declarandae sunt.

B. De diebus

Hanc paragraphum in duas partes divido, prout numeri vocabulis „kalendas“ vel „idus“ antecedentes simplices aut compositi sunt.

---

1) VI 32326,13 Romae, a. 204
2) Inscr. Hisp. chr. 214 prope Malagam, a. 958
Inscr. Brit. chr. ad. Hisp. 4 in territorio Lucenensi, a. 982
3) Inscr. Brit. chr. add. ad. Hisp. 5 prope Cordubam, a. 982
4) VIII 12200 Hr. Sidi Amara in Byzacena
5) Di 4270 Romae

a. De numeris simplicibus

Quater cardinalia pro ordinalibus posita sunt: „six kl.“[6]), „sex [i]dus“[7]), „[sep]tem kalendas“ (XII 2132 = Di 3280 Viennae), „octo idus“[8]). Exempla priora incerta sunt, cum „six“ et „sex“ compendia quoque ordinalis „sixtum“ vel „sextum“ esse possint. Omnes hae formae celeri pronuntiatione explicari possunt, cum cardinalia fere semper una syllaba breviora sint quam ordinalia.

b. De numeris compositis

Ordinalium et cardinalium inter se variantium apud numeros compositos ad dies significandos duo exempla inveni: „septem decimu kal.“[9]) et „octaum decem calendas“[10]). „Septem“ et „decem“ compendia esse possunt formarum „septemu“ et „decemum“, sed in exemplo priore id verisimile non est, cum exitus „septemus“ et „decimu“ numeralium inter se non congruant. Causa harum dictionum eadem est atque apud numeros simplices.

C. De mensibus

In inscriptione quadam Africana (VIII 28047 in provincia proconsulari) legimus: „vixit in pace annis XIII, me(nse) nonio“. Vocabula „me(nse) nonio“ pro „mense nono“ et ea pro „mensibus novem“ posita sunt.

D. De annis

Praeter dictionem „ano [t]recenti viges(imo)“[11]) duo exempla metrica invenimus: „viginti et sexto me Cluthes duxit in annos“[12]) et „in sexto et decem ascende(n)s deposui hanc anima“[13]), in quibus ordinalia et cardinalia metri causa permixta esse apparet. In exemplo primo dictio „trecentesimo“ multo longior fuisset.

E. De aera

In titulis duobus Hispanis legimus „era nonagesima nobem“[14]) et „era δ L quinque“[15]), ubi „nona“ et „quinta“ exspectamus. Sed ad aeram Hispanam significandam plerumque adverbia numeralia mira ponuntur, quae saepe notantur. Notis retro in numeralia transpositis cardinalia falso oriri potuerunt.

6) IX 1067 = Di 3025 A Frigenti in agro Compsino, periit
7) V 8958 = Di 3454 subscr. Chieri, a. 488
8) XII 1443 = Di 2902 A adn. in agro Lemovicum
9) Di 2797 A adn. Romae
10) XIII 3690 = Di 353 Treveris
11) VIII 20600 = Di 2068 c Tocqueville, a. 359
12) Not. scav. 1923 p. 358 = CE 2121,13 Romae
13) X 5020 = CE 1084,4 Venafri
14) CE 322,6 = Di 1819,6 (cf. Di III p. 616) in Callaeciae regione, a. 661
15) Di 1424 D adn. Emeritae, a. 517

De numeris ordinalibus positis ad annos provinciae Mauretaniae significandos

In indice inscriptionum Latinarum (p. 268) Diehl in significatione annorum provinciae Mauretaniae de numerorum ordinalium genere feminino in universum non dubitandum esse docet et septem exemplis saeculi quarti, quinti, sexti demonstrat; semel tantum „[p.] CCCLXX et nono“ legitur (VIII 9804 add. p. 2054 = Di 2866 Albulis, a. 418). Pro „anno“ in titulis, qui supra commemorati sunt, vocabulum „aera“ substituendum esse existimo.

De numeris ordinalibus Celticis in titulis Latinis

Cum Weisgerber [16]) de ordinalibus Celticis in titulis Latinis accuratissime egerit, numeralia tantummodo enumero. Rationes figulorum regionis „La Graufesenque“ [17]) haec ordinalia Celtica praebent: cintu(x) [18]) pro „primus“, allos [19]) pro „secundus“, tri[stos] [20]) pro „tertius“, petuar[etos] [21]) pro „quartus“, pinpetos [22]) pro „quintus“, suexos [23]) pro „sextus“, sextametos [24]) pro „septimus“, oxtumetos [25]) pro „octavus“, nametos [26]) pro „nonus“, decametos [27]) pro „decimus“. Praeterea apud Ambarros dictio petrudecameto [28]) occurrit, quae interpretanda est „quarto decimo (die)“.

De numeris ordinalibus iteratis

Quater ordinalia in inscriptionibus Latinis christianis (Di III p. 309) et vocabulo et nota numerali expressa sunt: „sub die sex. ꟼ kal. Marti.“ (XI 7589 = Di 3123 Centum Cellis), „Xꟼdecimo[sexto] kl. Apriles“ (XIII 2454 = Di 3565 A apud Ambarros, periit, ca. a. 500), „[s]ub diae III tercium [k]al. Maias“ (XII 5347 a = Di 3176 C Narbone, a. 517), „Xd(ecimum) kal. Iulias“ (VIII 9848 = Di 2860 B adn. Altavae, periit, a. 393).

---

16) Weisgerber: Die Sprache der Festlandkelten; Deutsches Archäologisches Institut, Römisch-germanische Kommission, 20. Bericht 1930 p. 147—226
17) Bonner Jahrbücher 1925 p. 71—74
18) Weisgerber p. 197
19) Weisgerber p. 192
20) Weisgerber p. 211
21) Weisgerber p. 207
22) Weisgerber p. 207
23) Weisgerber p. 210
24) Weisgerber p. 209
25) Weisgerber p. 206
26) Weisgerber p. 205
27) Weisgerber p. 190
28) XIII 2494 apud Ambarros; cf. Weisgerber p. 189

De numeris ordinalibus distinctis

Notae numerales, quibus ordinalia exprimuntur, exitibus ordinalium affixis saepe accuratius significantur. E quindecim exemplis, quae Diehl in indice inscriptionum Latinarum christianarum (p. 309 s.) affert, nonnulla eligo: III t i o" (Di 1551 A Tarifae, a. 646), „X m o" (XII 935 = Di 2591 A adn. Arelate, a. 530), „II d a s kalendas" (XII 2654 = Di 2910 prope Albam Helvorum, saec. VI), „indictione X m a" (XII 4084 add. p. 812 = Di 2898 inter Nemausum et ostia Rhodani).

c. De numeris distributivis et adverbiis numerorum

α. De formis distributivorum

De numerali „singuli"

A. De orthographia

s I n g u l i sim.: Ad analogiam vocalium ante „ns", „nf", „gn" etiam ante „ng" vocales produci possunt, quae res apicibus et „I" longis demonstratur. Christiansen [1]) numeri „singuli" duas formas, quarum „I" longa est, affert: s I n g (u l o s) (X 5654 Fabrateriae vet.), s I n g u l a s (II 1964 III 1 Malacae).

B. De sonis ac litteris

s i n g o l o s: Figura pristina s i n g o l o s [2]) pro „singulos" est, cum exitus Latinus „-ulus" ex „-olos" ortus sit [3]).

De numerali „quini"

De orthographia

c u i n o s: Ut in „cuinque" [4]), ita in c u i n o s [5]) scripturam „cu-" pro „qu-" invenimus.

De numerali „seni"

De syntaxi

s e n o s pro s e x: In carmine quodam epigraphico christiano hunc versum legimus: „per s e n o s iterumque decem sat fecimus annos"

---

1) Christiansen p. 45
2) I[1] 199 = I[2] 584,28 = V 7749 prope Genuam, a. 117 a. Chr. (sed v. 25 „singulos")
3) Sommer § 75
4) cf. p. 39
5) Inscr. Hisp. chr. 142,6 Legione in Asturia, a. 630

(CE 754,5 = Di 2871,5 Romae). Nisi „p“ littera vocabuli „per“ in „t“ mutanda est (annos duodequadraginta), distributivum „senos“ metri causa pro cardinali „sex“ incisum esse statuere debemus (annos viginti six).

De numerali „septeni“

De orthographia

septénis: Distributivum „sēni“ secundum leges linguae e „*sexni“ ortum est ut „lūna“ e „*louksnā“, „iūmenta“ ex „iouxmenta“ (I² 1 Romae, ca. a. 500 a. Chr. n.), „ēnormis“ ex „*exnormis“ [6]. Vocalis antecedens „k“ et „s“ elisis producta est. Totus exitus „-ēni“ numeri „sēni“ in cetera omnia distributiva transiit praeter „octoni“ et „singulī“ usque ad „quini“ [7]. Quibus deliberationibus vocalem „ē“ exitus „-ēni“ productam esse cognoscitur; apex igitur merito positus est in septénis [8].

De numerali „octoni“

A. De orthographia

octónos: Etiam formam octónos recte apicatam bis in eodem titulo legimus (XI 1209 = CE 1550 A 3, B 1 Veleiae; temporibus Hadriani).

B. De syntaxi

octona: Numerus singularis disperitivi „octoni“ occurrit in dictione carminis deperditi „iamque bis octona Septembrem luce movebat . . . annus“ pro „. . . sexto decimo . . . die . . .“ (Di 46,25 s. = CE 1365,25 s. Luguduni).

De numerali „deni“

A. De orthographia

δenu[s]: Notatione digna est scriptura δenu[s] in titulo Africano mutilato (VIII 11645 = Di 1105 adn. Ammaedarae).

dénos: Distributivum „deni“ aut ad analogiam numeri „seni“ formatum aut e „*decni“ ortum (Sommer l. c.) apice recte affectum est in forma dénos tituli Romani (VI 12652 = CE 995, A 7).

B. De syntaxi

deni sim. pro decem: Tria exempla distributivi „deni“ pro „decem“ positi in inscriptionibus inveni: „[diebus] numero deni[s]“

---

[6] Sommer § 141
[7] Sommer § 316
[8] X 4041 Capuae

(XI 2538 add. p. 1281 = Di 1578b Clusii), „denis ... lustris rector doctorq. prefuisti monacis“ (CE 699,11 s. = Di 1090,11 s. Tarracone, saec. VI), „(Fortuna) denos vix passa est annos te cernere lumen“ (III 2628 suppl. 9259 = CE 456,3 Salonis).

De numerali „duodeni“ (cf. Thes. V 2250)

A. De sonis ac litteris

duodinos: Ad analogiam numeralium „bini“, „trini“, „quini“ forma duodinos[9]) orta est vocali „i“ in versu malo metri causa correpta.

B. De syntaxi

duodena: Notandus est numerus singularis in dictione „in ara taurobolica duodena cum vitula crem(ata)“[10]). Pro cardinali „duodecim“ „duodena“ positum est in loco corrupto: dictio „eritor duodena“[11]) explicanda est „erogator munerum duodecim“.

bis seni: De compositione bis seni sub numero „duodecim“ egi.

C. De re metrica

du̯ōdēnos: Vocales „u“ et „o“ coalescunt[12]) in versu „cum bis duodenos aetas [c]o[mpleverat annos]“[13]).

dūōdēnos: Omnes syllabae productae sunt in versibus „bis duodenos annos iam processerat aetas“[14]), „bis duodenos necdum conple[verat annos]“[15]).

De numerali „viceni“

De sonis ac litteris

vicínos: In versu „nondum bis vic ínos annos compleverat annus“ (VI 25617 = CE 965,11 Romae; cf. CE p. 857) in syllaba paenultima numeralis „i“ elata incisa est (cf. „duodinos“).

De numerali „duodetriceni“

De syntaxi

octonis et vicenis: Modus subtractivus neglegitur in dictione octonis et vicenis[16]) pro „duodetricenis“.

---

9) X 7777 = Di 1685 = CE 784,3 Caralibus
10) IX 1538 Beneventi, a. 228
11) X 6565 = DE 5632 Velitris
12) cf. duo „De re metrica“
13) XIII 7002 = CE 1100,1 Mogontiaci
14) VI 17130 = CE 963,5 Romae, a. 12 a. Chr.
15) Di 3447,4 = CE 735,4 Romae, sub finem saeculi quarti
16) XI 373 Arimini, a. 249

De numerali „centeni"

De syntaxi

c e n t e n o: Dictionem „sed Maria longum vitae c(u)rs(u)m c e n t e n o console duxit" (XIII 2386 = Di 1676 = CE 711,2 Luguduni, a. 552) „. . . usque ad centesimum consulem . . ." intellegendam puto esse.

De numerali „milleni"

De syntaxi

m i l l e n a: In titulo quodam Hispano saeculi decimi exeuntis „era m i l l e n a" pro „aera millesima" legitur (Inscr. Brit. christ. add. ad Hisp. 5 prope Cordubam, a. 982).

β. De usu dispertitivorum

Numeri distributivi interdum pro cardinalibus aut ordinalibus in usu sunt. Pro cardinalibus praecipue in inscriptionibus Italiae ponuntur. Exempla, quae inveni, haec sunt: „a natis t r i n i s et viro eripior"[17] pro „a natis tribus . . .", „duo et q u a t e r n o s vite conpleverat annos"[18] pro „duo et quattuor . . ." pro „sex . . .", „(Fortuna) d e n o s vix passa est annos te cernere lumen"[19] pro „decem . . .", „eritor d u o d e n a"[20] pro „erogator munerum duodecim". Quibus exemplis perlustratis numeralia distributiva pro cardinalibus plerumque metri causa posita videmus esse. Ad analogiam quoque distributivorum, quae cum adverbiis numeralibus multiplicata ad numeros cardinales significandos in carminibus epigraphicis saepissime occurrunt, numeri dispertitivi adverbiis numeralibus carentes cardinalia significare potuerunt.

Ad partem alteram huius capitis pervenimus. Pro ordinalibus distributiva in titulis Galliae et Hispaniae ponuntur, quorum exempla haec sunt: „iamque bis o c t o n a Septembrem luce movebat nomen Messalae consulis annus agens"[21] pro „. . . sexto decimo . . . die . . .", „sed Maria longum vitae c(u)rs(u)m c e n t e n o console duxit"[22] pro „. . . centesimo consule . . .", „era m i l l e n a"[23] pro „aera millesima". Linguam Francogallicam, Catalanam, Hispanam, Lusitanam temporibus medii aevi numeralibus distributivis pristinis Latinis pro ordinalibus usas esse Meyer-Lübke demonstrat[24].

---

17) VI 31711 = CE 1306,2 Romae
18) XI 5796 = CE 1822,3 Sentini; cf. CE 754,5 = Di 2871,5 (via Salaria nova): „per senos iterumque decem sat fecimus annos"
19) III 2628 suppl. 9259 = CE 456,3 Salonis; cf. Di 1578 b (Clusii): „[diebus] numero deni[s]" (= decem)
20) X 6565 = DE 5632 Velitris
21) CE 1365,25 s. = Di 46,25 s. Luguduni
22) XIII 2386 = Di 16766 = CE 711,2 Luguduni, a. 552
23) Inscr. Brit. chr. add. ad Hisp. 5 prope Cordubam, a. 982
24) Meyer-Lübke Gr. II § 561

De numerali „primitus“

De syntaxi

primiter: Ad analogiam adverbiorum declinationis tertiae orta est forma primiter[25]), quae pro „primitus“ in usu est. De figura „primiter“ Charisius[26]) in „Arte“ dicit: „„Primiter“ Pomponius in Maccis Geminis prioribus: „bono animo es, eripis primiter“.“

De numerali „bis“ (cf. Thes. II 2006)

De sonis ac litteris

vis: Non solum „v“ in „b“, sed etiam modo inverso „b“ in „v“ transire potest, qua de mutatione Martyrius[1]) in libro „De „b“ et „v““ accuratissime egit. Praeter vis[2]) pro „bis“ „v“ pro „b“ initio vocabuli posita est in formis vulgaribus velut „valanus“, „valneas“, „vaselica“, „veata“ „Velgica“, „velua“, „veluina“, „vene“, „veneficium“, „venivolentia“, „Verenice“, „vessem“, „Vessus“, „vestiae“, „vigis“, „vimatus“, „vipennis“, „vitumen“, „vone“, „vutyrum“. Multo saepius „v“ pro „b“ mediis in vocabulis occurrit[3]).

bes: Formam bes[4]) pro „bis“ duabus in inscriptionibus inveni, praeterea compositionem bessenis[5]) pro „bissenis“. Partem assis et adverbium numerale inter se confusa esse verisimile non est. Potius „i“ vocalem aperte enuntiatam esse censeo (cf. „vigenti“ sim.).

bi: In titulo quodam Germaniae superioris dubium est, utrum formam bique[6]) interpretari debeamus „bisque“ an „ibique“. „S“ sonum consonantibus mutis sequentibus nonnumquam elidi posse Seelmann[7]) demonstrat exemplis „magiter“, „iutior“, „quiecit“, Proskauer[8]) „libertabuque“, „poterique“, Dessau (Ind. p. 832) „Cripinus“, „Potumi“, „Pricus“, „secipedale“, Diehl (Vulg.-lat. Inschr. p. 165) „eide“, „filiatrum“.

---

[25]) III 75 prope Syenen
[26]) Gramm. Lat. I 210,8 = Barwick 272,11
[1]) Gramm. Lat. VII 165—199
[2]) Di 1092,14 e codice Hispano saec. VIII
Di 4837,11 Carthagine
[3]) Sommer § 158 a, DE III 2 p. 834, Thes. vol. II
[4]) V 6404 = CE 692 subscr. = Di 1041 subscr. Laude Pompeia, periit
III 13124 = DE 8252 = Di 3870 Salonis, a. 430
[5]) XII 481 = CE 1447,13 = Di 179,13 Massiliae
[6]) XIII 7203 = CE 793,2 = Di 3567,2 Moguntiaci
[7]) Seelmann p. 315 s.
[8]) Proskauer p. 155

De numerali „iterum"

A. De orthographia

iter., iter.: Suspensio iter.[9]) in titulis Latinis christianis sexies occurrit. Accedit exemplum cum linea superposita: iter.[10]).

itr.: Suspensio formae „itrum" (cf. „de sonis ac litteris") itr.[11]) est.

it., īt., it̄., it.: Suspensio „it." undecies invenitur. Si editores inscriptiones accurate emiserunt, linea quater deest (it.[12])), semel sono „i" (īt.[13])), semel „t" (it̄.[14])), quinquies toti suspensioni (it.[15])) superposita est.

terum: Vocalis „i" cum ictum ferat, loquendo excidere non potest; terum[16]) igitur „i" scriptura omissa errore quadratarii effectum est.

B. De sonis ac litteris

eterum, eterom: Assimilatio vocalium progressiva subest in formis eterum[17]), eterom[18]), quae praecipue in titulis Galliae Transalpinae occurrunt[19]).

itir.: Assimilationem regressivam forma itir.[20]) videmus, quae suspensio in inscriptione quadam Romana invenitur.

itrum, itr.: Accentu syncope vocalis „e" syllabae secundae figurarum itrum[21]), itr.[22]) effecta est[23]).

---

[9]) VI 9379 = Di 356 Romae, a. 532
Di 987 = CE 1374 subscr. Romae, a. 532
IX 412 a = Di 2444 Canusii, a. 543 („ite[r.]")
X 1355 = Di 260 adn. prope Nolam, periit, a. 543
XI 1540 = Di 2170 Lucae, a. 536 („i[t]er.")
V 3897 = Di 223 prope Veronam, a. 532 („[i]ter.")

[10]) Di 1304 Romae, periit, a. 532 vel 544

[11]) X 1354 = Di 368 Cimitile prope Nolam, periit, a. 543

[12]) CE 1753 = Di 1128 adn. Romae, a. 543
Di 690 Romae, a. 544
X 1356 = Di 1329 prope Nolam, periit, a. 543
XI 1692 = Di 4459 A Florentiae, a. 536

[13]) XI 309 = Di 1152 adn. Ravennae, a. 536

[14]) Di 1780 Romae, a. 532/533

[15]) VI 32019 = Di 252 b Romae, a. 543
VI 9157 = Di 3819 Romae, a. 544 (bis)
Di 3727 F adn. originis urbanae, a. 544 (533?)
Di 2891 A adn. Viennae, a. 536

[16]) XII 2081 = Di 1672 Viennae, a. 540

[17]) V 7531 = Di 339 Aquis Statiellis, a. 491
XII 1501 = Di 1213 Vasione, periit, a. 536
XII 2078 = Di 3038 Viennae, a. 536

[18]) XII 933 = Di 2889 A Arelate, a. 524?

[19]) cf. Sommer § 79

[20]) Di 4378 Romae, a. 378

[21]) XII 934 = Di 2891 A Arelate, a. 529

[22]) X 1354 = Di 368 Cimitile prope Nolam, periit, a. 543

[23]) cf. Sommer § 86

eterom: Formam eterom[24]) tituli cuiusdam Gallici saeculi sexti „o“ vocalem pristinam conservavisse verisimile non est, sed, ut Grandgent[25]) dicit, „u“ in „o“ inde a saeculo post Christum natum quarto transiit. Loco citato Grandgent narrat: „Short „u“ . . . became, probably by the fourth century or earlier, „o“ in most of the Empire“. Prinz in dissertatione „De O et U vocalibus inter se permutatis in lingua Latina quaestiones epigraphicae“ (p. 111) in capite „O pro U“ in paragrapho „De nominativo et accusativo singularis declinationis alterius“ de „eterom“ haec dicit: „In Gallia Transalpina quinque „-om“ terminationis exempla occurrunt . . . Huc pertinet etiam adverbium in „-um“ exiens: Di 2889 A (Arelate, a. 524?) eterom; in eodem titulo exstat „Eulogios“.“ Praeterea Prinz haec adnotavit: „Si in itero (CIL III 11076 in Pannonia sup.) subest „iterum“, „o“ etiam ad analogiam aliorum adverbiorum in „o“ cadentium velut „denuo“, „raro“ orta esse potest.“

C. De syntaxi

secundo: Ad consulatum iteratum significandum secundo[26]) bis, secun.[27]) semel pro „iterum“ occurrunt.

et iterum sim.: Dictionem et iterum pro „ter“ sub numerali „ter“ tractabo.

De numerali „ter“

A. De sonis ac litteris

trisis: Formam trisis[1]) pro „ter“ in inscriptione Hispana saeculi sexti inveni. Quod vocabulum e nomine cardinali „tres“ > „tris“ exitu „-is“ adiecto videtur formatum esse. Analogia adverbii numeralis Latini „bis“ et Graeci „τρίς“ formam Latinam „*tris“ effecit. De dittographia „trisis“ cf. „treres“, „dececem“.

B. De syntaxi

tertio: Ablativum casum generis neutri numeri ordinalis pro adverbio numerali in titulo quodam Gallico saeculi sexti invenimus: „tertio p. c.“[2]).

---

24) XII 933 = Di 2889 A Arelate, a. 524?
25) Grandgent § 208
26) XI 316 = Di 377,7 Ravennae, a. 574?
XI 317 = Di 622,13 prope Ravennam, a. 574 sive 575
27) XI 317 = Di 622,8 prope Ravennam, a. 569
1) Inscr. Hisp. chr. 304 Myrtili in Lusitania, a. 525
2) XII 2405 = Di 3282 Augusti, a. 537

et iterum sim.: Pro „ter“ vel „tertio“ „et iterum“ huiusque dictionis compendia saeculo sexto saepius occurrunt: et iterum[3]), et iter.[4]), et it.[5]), et it.[6]).

De numerali „quater“

A. De orthographia

cuater: Ut „cuinque“, ita etiam cuater[7]) scribitur.

B. De sonis ac litteris

quader: „T“ litterae „r“ vicina in „d“ commutatur, e. c. „quadraginta“, „quadriennium“, quorum ad analogiam forma quader[8]) orta est.

quattus: Forma quattus[9]) cum „as“ composita est et „quattuor assibus“ significat, sed in titulo Hispano adverbium numerale est ad aeram definiendam (cf. p. 131).

De numerali „quinquies“

A. De orthographia

qinquies: „Q“ pro „qu“ scriptam in forma qin[quies][10]) invenimus (cf. „qattor“).

quinqs: Contractio orthographica, non sonorum, est quinqs in inscr. Di 3142 (Romae, periit, a. 402).

B. De sonis ac litteris

I. De testimoniis grammaticorum veterum

Caper[11]) in libro „De orthographia“ dicit: „Omnia adverbia numeri sine „n“ scribenda sunt, ut „milies“, „centies“, „decies“: „quotiens“, „totiens“ per „n“ scribenda sunt“.

---

[3]) IX 1384 = Di 3186 b prope Aeclanum, a. 533
X 4497 = Di 3189 Capuae, a. 533
V 4118/19 = Di 1278 Cremonae, periit, a. 537

[4]) Di 1304 Romae, a. 533 vel 544

[5]) Di 690 Romae, a. 544

[6]) VI 9157 = Di 3809,7 Romae, a. 544
Di 3727 F adn. originis urbanae, a. 533 vel 544

[7]) Inscr. Hisp. chr. 142 = CE 720,6 = Di 1645,6 Legione in Asturia, a. 630

[8]) Inscr. Hisp. chr. 276,4 in cathedrali Ovetensi

[9]) IV 1679 Pompeis; cf. ALL I 1884 p. 102, Mus. Rhen. 57 1902 p. 325 (Buecheler)
XI 5717 = DE 6643 Tufici
VIII 25902 III 19 in provincia proconsulari
Di 1428 prope Emeritam Lusitaniae, a. 566 (ibid. „qattus“)

[10]) XIV 2621 Tusculi

[11]) Gramm. Lat. VII 95,8

Similiter Priscianus[12]) in libro quinto decimo „Institutionum" de adverbiis numeralibus in „-ies" exeuntibus iudicat: „A „quinque" vero usque ad „mille" in „-es" productam desinunt adverbia, ut „quinquies", „sexies", „septies"; sic reliqui, ut supra dictum est. a „quot" vero et „tot" in „-ens" terminantur, „quotiens" et „totiens". sunt igitur haec numeralia".

Idem grammaticus in opere „De figuris numerorum"[13]) haec narrat: „Semel" et „bis" . . . „ter", „quater". reliqua omnia in „-es" productam desinunt . . . infinitis tamen numerorum adverbiis etiam „n" interponitur, „quotiens", „totiens", similiter „multotiens"."

Sed apud Marium Victorinum[14]) in „Artis grammaticae" libro primo hoc scriptum est: „Adverbia cum „n" scribenda, „quotiens", „deciens", „totiens" et similia per numerum".

II. De titulorum exemplis

quinquiens: Etymologiam cum consideramus, formas in „-iens" exeuntes vetustiores esse statuimus; item „vicensimus" sim. formas cum „n" antiquiores esse quam „vicesimus" sim. iam vidimus. Sed auctores plerumque figuras in „-ies" desinentes scribunt. In inscriptionibus utraque scriptura occurrit; formae quinquiens[15]) tria exempla epigraphica inveni.

quinquis: Vocales similes affines „iē" in „iī" assimilantur posteaque in „ī" productam contrahuntur in forma quinquis[16]). Quam figuram ad analogiam numeri „bis" ita formatam esse minus verisimile est.

De numerali „sexies"

A. De orthographia

sexsies, sexsis: Aeque ac in „sexs" sonus sibilans „s" scriptura adiectus est in formis sexsies[1]), sexsis[2]).

sesxis: Errore quadratarii litterae „x" et „s" formae „sexsis" inter se permutatae sunt in sesxis[3]).

sexxies: Littera „x" duplicata est in sexxies[4]).

---

12) Gramm. Lat. III 88,17
13) Gramm. Lat. III 415,18
14) Gramm. Lat. VI 24,23
15) VI 29775 Romae
X 218 Grumenti
X 838 Pompeis
16) Di 4414 A adn. Velitris, a. 402
1) X 1362 Nolae
XII 2406 = Di 1747 Augusti Sabaudiae in Gallia Narbonensi, a. 547
XIII 1891 Luguduni
2) Di 1439 A Emeritae, periit, a. 518
Di 1447 C Cordubae, a. 638
3) Di 3375 B Veronae
4) X 1362 = Di 1709 adn. prope Nolam, periit, a. 540?

sex.: Compendium formae „sexies“ vel „sextum“ sex.[5]) est.

B. De sonis ac litteris

xexis: Assimilatio consonantium subest in xexis[6]), nisi haec forma scriptura tantummodo est pro „sexis“ vel „*sesis“ (cf. „xex“).

sexis, sexsis, sesxis, xexis: Vocales „ie“ in „i“ contractae sunt in formis sexis[7]), sexsis[8]), sesxis[9]), xexis[10]), quae in lapidibus Italianis et Hispanis inveniuntur. Fortasse hae formae ad analogiam numeri „bis“ figuratae sunt (cf. „trisis“).

De numerali „septies“

A. De orthographia

seps.: In subscriptione carminis cuinsdam christiani contractionem sep(tie)s legimus (XIII 5251 = CE 1378 = Di 1079 in monasterio s. Luci Curiensi Helvetico), nisi suspensio est formae „sepsies“ (cf. „De sonis ac litteris“).

B. De sonis ac litteris

septiens: „N“ conservata est in septiens[11]) (cf. „quinquiens“).

sepsies: Sicut „tertium“ assibilatione in „tersiu“ mutatur, ita etiam „septies“ in sepsies[12]) (cf. „De orthographia“).

De numerali „octies“

A. De orthographia

ocxiis: In „x“ scribendo non solum sonus sibilans, sed etiam gutturalis scriptura „cx“ duplici modo exprimi potest, nisi „x“ simpliciter pro „s“ scripta est: ocxii[s][13]).

B. De sonis ac litteris

octiens: Etiam hic „n“ litterae servatae exemplum invenimus: octiens[14]) (cf. „quinquiens“).

---

5) XIII 912 in agro Biturigum, a. 405
6) Di 4263 adn. Romae, periit
7) Di 2792 Tusculi, a. 404
8) Di 1439 A Emeritae, periit, a. 518
Di 1447 C Cordubae, a. 638
9) Di 3375 B Veronae
10) Di 4263 adn. Romae, periit
11) XI 317 = Di 622,4 Ravennae, a. 548
12) XII 2086 = Di 3550 B Viennae, a. 558
13) XII 2382 = Di 3554 inter Viennam et Augustum, a. 546
14) Di 1090 = CE 699,13 in Hispania, saec. VI

hocsies: Formam „hocto“ in titulis Gallicis occurrere iam vidimus; item hocsies[15]) in Gallia in usu erat, quo in vocabulo praeter „h“ anteeuntem assibilatio quoque notanda est.

ocxiis: Assibilatione „octies“ in „*ocsies“ atque id in „*oxies“ transiit littera „c“ tamen scriptura servata. Exemplo ocxii[s][16]) vocales „i“ et „e“ in „ii“ assimilatas, sed nondum in „ī“ contractas esse ut in „quinquis“ sim. videmus (cf. „De orthographia“).

De numerali „novies“

De sonis ac litteris

noviens: Litteram „n“ conservatam legimus in noviens[17]) (cf. „quinquiens“).

nobies: Betacismus invenitur in forma nobies[18]) (cf. „nobe“).

noviis: In carmine quodam epigraphico Romano hoc fragmentum hexametri occurrit: „[...]viis complevit t[...]“. Rossi versum ita restituit: „bisque acto noviis complevit tempore vitam“, sed Buecheler „sed binis noviis complevit tempus in annis“, ergo „noviis“[19]) explendum esse consentiunt. Quam formam re vera in usu fuisse figura „ocxii[s]“ videmus.

De numerali „decies“

De sonis ac litteris

deciens: „N“ conservata est in deciens[1]) (cf. „quinquiens“).

decis: Vocales „i“ et „e“ in „ī“ contractae sunt in forma decis[2]) (cf. „quinquis“), nisi secundum „bis“ figurata est.

deces: Etiam modo inverso „i“ et „e“ vocales in „ē“ contrahuntur, nisi formam „decies“ in „*decies“ mutatam, semivocalem postea elisam esse potius censemus ad figuram deces[3]) explicandam (cf. „quattor“, „vices“).

---

15) XII 2087 = Di 1215 Viennae, a. 559
16) XII 2382 = Di 3554 inter Viennam et Augustum, a. 546
17) VIII 8233 Milevi Numidiae
18) Inscr. Hisp. chr. 214,10 prope Malacam, a. 958
Inscr. Hisp. chr. 220,12 Cordubae, a. 923
19) CE 674,10 = Di 419 A,10 Romae
1) XI 1147,31 Veleiae
CE 718,4 = Di 1521,4 prope Eboram in Lusitania, a. 593
2) XII 2087 = Di 1215 Viennae, a. 559
III 12872 = Di 3836 A b Salonis („decis centena milia“)
3) XII 2086 = Di 3550 B Viennae, a. 558

De numerali „duodecies"

De re metrica

duodecíes: In versu „duodecíes binos superaví luminis annos" (VIII 24787 = CE 1943,2 Carthagine, saec. III) I longae bis falso positae sunt. Numerum priorem „duōdĕcĭēs" legere debemus.

De numerali „ter decies"

De sonis ac litteris

tredecies: Dubitari non potest, quin tredecies[4]) ad analogiam ordinalis „tredecim" factum sit. Etiam „undecies", „duodecies" hanc formam effecerunt.

De numerali „duodevicies"

De syntaxi

hocsies decis: Priscianus in opere „De figuris numerorum" „duodevicies" in enumeratione adverbiorum numeralium non affert, sed tantummodo „octies decies", quam compositionem in titulo quoque Gallico sermone vulgari deformatam in hocsies decis[5]) legimus. De formis cf. „octies" et „decies". De compositione cf. „novies bis" apud Cypr. Gall. genes. 487, sed „duodetricies" apud Cic. Verr. II 3, 163.

De numerali „vicies"

De sonis ac litteris

vices: „I" aut omissa aut cum „e" contracta est in vices[6]) (cf. „deces").

De numerali „quadragies"

De sonis ac litteris

quatragies: Ad analogiam numerorum „quattuor" et „quater" orta est forma quatragies[7]).

De numerali „quinquagies"

De sonis ac litteris

quinquagis: Aeque atque in „quinquis", „sexis", „decis" etiam in quinquagis[8]) „ie" vocales in „ii" posteaque in „ī" mutatae sunt. Haud scio an quinquagis forma analogica sit ad „bis".

[4]) XII 943 = Di 1165 Arelate, a. 535?
[5]) XII 2087 = Di 1215 Viennae, a. 559
[6]) XII 2187 = Di 3279 inter Viennam et Gratianopolim, a. 564
[7]) XII 1045 add. p. 821 = CE 716 = Di 1689 Avennione, a. 587 („bis quatragies et VI")
[8]) Inscr. Hisp. chr. suppl. 380 = Di 2433 A Bracarae, a. 618

De sonis ac litteris

ducentiens: „N“ conservata est in ducentiens[9].

δ. De iterationibus honorum

Numeri iterationis honorum maximam in partem notati, rarius perscripti vel paene perscripti sunt. Adverbia ad annos magistratuum significandos tribus modis figurantur: 1. adverbia numeralia propria (semel, bis, ter), 2. accusativi ab ordinalibus derivati (primum, iterum pro „secundum“, tertium), 3. ablativi ab ordinalibus derivati (primo, secundo, tertio). Compendia tert., quint., sept. sim. explicari possunt „tertium“, „quintum“, septimum“ sim. vel „tertio“, „quinto“, „septimo“ sim. Iam temporibus liberae rei publicae viros doctos de compendiorum significatione disceptavisse M. Tullius Tiro[10] in epistula quadam narrat: „Cum Pompeius aedem Victoriae dedicaturus foret, cuius gradus vicem theatri essent, nomenque eius et honores scriberentur, quaeri coeptum est utrum „consul tertio“ inscribendum esset an „tertium“. eam rem Pompeius exquisitissime rettulit ad doctissimos civitatis, cumque dissentirentur et pars „tertio“, alii „tertium“ scribendum contenderent, rogavit Ciceronem Pompeius, ut quod ei rectius videretur scribi iuberet. tum Ciceronem iudicare de viris doctis veritum esse, ne quorum opinionem inprobasset, ipsos videretur inprobasse. persuasit igitur Pompeio ut neque „tertium“ neque „tertio“ scriberetur, sed ad secundum usque „t“ fierent litterae, ut verbo non perscripto res quidem demonstraretur, sed dictio tamen ambigua verbi lateret.“ Illius aetatis vir doctissimus, M. Terentius Varro[11]) Reatinus, de differentia ordinalium in „-o“ et „-um“ exeuntium ad honorum iterationes significandas adhibitorum in „Disciplinarum“ libro quinto haec docet: „Aliud est quarto praetorem fieri et aliud quartum, quod „quarto“ locum adsignificat ac tres ante factos, „quartum“ tempus adsignificat et ter ante factum. igitur Ennius[12]) recte, quod scripsit: „Quintus pater quartum fit consul“, et Pompeius timide, quod in theatro, ne adscriberet „consul tertium“ aut „tertio“, extremas litteras non scripsit“. Varronis sententiam Augustinus[13]) in „Regulis“ in capite „de adverbio“ sequitur: „Est etiam quaedam obscuritas in adverbiis „secundo“, „tertio“, „quarto“, „quinto“, „sexto“ et „secundum“, „tertium“, „quartum“, „quintum“, „sextum“, ut puta „secundo factus est consul“ et „secundum fuit consul“. „secundo“ autem ad ordinem pertinet, „secundum“ ad numerum: ut puta cum dico „secundo factus est consul“, pertinet, ut dixi, ad ordinem, quod primo alter factus sit et sic alter secundo; cum autem dicimus „secundum consul“ vel „tertium“ vel „quartum“ vel „quintum“ vel „sextum“, ad numerum

9) II 6278,8 prope Italicam Baeticae (ibid. „trecenties“, „quingenties“)

10) Funaioli: Gramm. Rom. frgm. p. 399 Tiro 7

11) Funaioli p. 258 Varro 218

12) Enn. ann. 295

13) Gramm. Lat. V 517,22

pertinet, quod sexies fuerit consul. inde Cicero de Mario sic ait, „sextum consul“, id est qui sex consulatus meruit, et „septimum consul“, quod est septies consulatum meruit. hoc Varro distinxit in libris numerorum.“

ε. De adverbiis et numeris distributivis variantibus

De numeris dispertitivis una cum adverbiis scribo, quod utrumque genus numerorum coniunctum saepe in iisdem titulis — et inprimis in carminibus epigraphicis – plerumque ad annos aetatis hominis cuiusdam mortui significandos occurrit; nonnumquam cardinalia adiciuntur[14]). De dictionibus ter singuli pro „tres“, bis bini pro „quattuor“, bis terni et ter bini pro „sex“, quater bini pro „octo“, ter terni pro „novem“, bis quini pro „decem“, bis seni pro „duodecim“, bis septeni pro „quattuordecim“, ter quini pro „quindecim“, bis octoni et quater quaterni pro „sedecim“, bis noveni et ter seni pro „duodeviginti“, bis deni pro „viginti“, ter deni, decies terni, bis quini deni pro „triginta“, bis viceni et quater deni pro „quadraginta“, decies quini pro „quinquaginta“, bis triceni pro „sexaginta“, septies deni, decies septeni, quater decies quini pro „septuaginta“, octies deni et bis quater deni pro „octoginta“, novies deni et ter triceni pro „nonaginta“ sub cardinalibus egi. Praeterea notatione mihi dignae videntur esse compositiones bis undeni[15]) et ter seni et quattuor[16]) pro „viginti duo“, bis duodeni[17]), bis deni bini[18]), duodecies bini[19]) pro „viginti quattuor“, bis terni deni[20]) pro „viginti sex“, ter noveni[21]) pro „viginti

[14]) Neue II³ p. 341, Thes. II 2009

[15]) VI 25063 = CE 1549,11 Romae, Flaviae aetatis: „illa bis undenos annos vixit, natus quoque sénós“
CE 2193,5 = Di 1515 A,5 Romae, saec. IV: „bis undenos orbes nobenque duxerit mensibus aev[um]“
II 1094 = CE 1195,6 apud Ilipenses in Baetica: „[e]t bis ut undenos invida morte prem[unt]“
XII 592 = CE 769,10 = Di 3437,10 Aquis Sextiis: „bis undenos aevi conpletis duxit mensibus annos“

[16]) III 6414 = CE 588,2 ss. prope Scardonam Delmatiae: „huic vite finis in ipsis ter senis misero et quattuor paene peractis annis acerva fuit“

[17]) VI 17130 = CE 963,5 Romae, a. 12 a. Chr.: „bis duodenos annos iam processerat aetas“
CE 735,4 Romae, saec. IV: „bis duodenos necdum conple[verat annos]“
X 7777 = CE 784,3 Caralibus: „bis duodinos et fida deo que pertulit annos“
XIII 7002 = CE 1100,1 s. Mogontiaci: „cum bis duodenos aetas [c]o[mpleverat annos], tum rapuit fatís mors inimica suis“

[18]) V 1623 = CE 1350,7 prope Aquileiam, a. 423: „bis denis binis populis presedit in annis“

[19]) VIII 24787 = CE 1943,2 Carthagine, saec. III: „duodecíes binos superaví lumínis annos“

[20]) III 9106 = CE 1156,3 Salonis: „bis ternos denos conplevi mensibus annos“

[21]) III 3572 = CE 558,2 Aquinci: „nata ter novenos misera et nupta bis octo per annos“

septem“, quater septeni[22]) pro „duodetriginta“, septies quini[23]) pro „triginta quinque“, ter decies quini[24]) pro „sexaginta quinque“, duodecies seni[25]) pro „septuaginta duo“. Numeri maiores ita exprimi solent: novies milies centena milia[26]). Distributivorum numerus singularis raro occurrit; interdum pro ordinalibus ponitur, veluti „bis septeno sacri diadematis anno“[27]), „bis octona luce“[28]) pro „sexto decimo die“, „vixi bis deno circi[t]e solis“[29]), „vota ... bis deni ... orbis“[30]) pro „vota vicennalia“, „ter quinum rapida vergebant tempora lustrum“[31]).

ζ. De adverbiis et numeris cardinalibus variantibus

Rarius adverbia cum cardinalibus coniunguntur. Etiam hae compositiones plerumque in carminibus epigraphicis leguntur. Inveni dictiones bis quattuor[32]) pro „octo“, bis sex[33]) pro „duodecim“, bis septem[34]) pro „quattuordecim“, ter quinque[35]) pro „quindecim“, bis octo[36]) pro „sedecim“, sex ter[37]) pro

22) CE 2179,3 Cumis: „quater septenos nondum compleverа(m) menses“
23) V 6739 = CE 779,5 Vercellis: „septies hic quinos transegit corporis annus“;
„quadraginta sex“ significatur in versu „decies ut ternos ad quater quaternos vixit per annos“ CE 721,9 in Cordubensi regione, a. 642
24) X 6785 = CE 1189,3 s. in Pandateria insula: „huic non dura colu Clotho decrevit in annis, degere quem voluit“
25) VI 27657 = CE 1815,3 Romae: „vix(it) annis duodecies senis, nam tertius apstulit illum“
26) VI 967 Romae, a. 118
27) XI 297,9 Ravennae
28) XIII 2372 = CE 1365,25 = Di 46,25 Luguduni, periit, a. 506
29) XI 4188 Interamnae
30) VI 504 Romae, a. 376 (ethn.)
31) XII 2094 = CE 1389,15 Viennae, a. 579; cf. „bissenum lustrum“ Le Blant 429; „bis senam ... partem“ CE 1943,3
32) CE 673,2 Romae: „ter morior denos et post bis quattuor annos“
33) DE 8987,3 = CE 2046,3 inter Mursam et Sopianas Pannoniae: „bis sex scripta tenet praetorisque omne volumen“
34) VI 32049 = CE 702,10 s. Romae, a. 528: „bis septem lustris octavo functus et anno hoc iacet in tumulo repetens Petronius humum“
XI 4866 = CE 1167,3 s. Spoleti: „non dum bis septem plenis praerepta sub annis hac Corale casta condita sede iacet“
35) CE 2126,3 Romae: „nunc Ianuaria iaces annos ter quinque sepulta“
36) XI 6246 = CE 104,1 s. Fani Fortunae: „puer bis octo in annis hoce sub tumulo iacet“
III 3572 = CE 558,1 s. Aquinci: „hic sita sum matrona .. nata ter novenos misera et nupta bis octo per annos“
37) XII 2660 = CE 1366,8 Albae Helviae: „s[e]x lust[ra] exegit non breve ter spatium“

„duodeviginti", bis decem[38]) et iterum decem (cf. p. 115) pro „viginti", bis sex ter[39]) pro „triginta sex", viginti bis[40]) pro „quadraginta", bis quadraginta[41]) pro „octoginta", deciens quadraginta quattuor[42]) pro „quadringenti quadraginta". Nonnullas quaestiones difficiliores addo:

bis ti: Forma bis ti[43]) explicanda est aut „bis viginti" aut „bis septe" aut „biginti".

bis XVIII: In carmine quodam epigraphico Africano hunc versum iambicum legimus: „quae dum per annos bis XVIII vita gerit"[44]). Cui versui neque „duodeviginti" neque „octodecim" adaptari potest. Buecheler ad locum adnotavit „verba iambis decurrunt rectis si excipis numerum" et archetypum numeri notati „decem" vel „denos" fuisse statuit.

bis XXXX: Compositio bis XXXX in versu hexametro „haec namque emeritos bis XXXX per annos"[45]) potius „bis quadraginta" quam „bis quadrageno(s)" legenda est, cum cardinalium denariorum syllaba ultima in carminibus epigraphicis saepius corripiatur.

quinque et bis: In carmine quodam epigraphico urbano dictio mira quinque et bis invenitur: „culmen apostolicum quinque et bis mensibus annis rexit . . ."[46]). Bonifatium annos quinque, menses decem sedisse Rossi adnotavit.

geminos decim: Modo copioso numerus „quinquaginta" exprimitur in versu „triginta et geminos decim vix reddidit annos"[47]). Dictio „geminos decim" pro „bis decem" i. e. „viginti" posita est.

η. De adverbiis cum adverbiis coniunctis

Interdum quoque adverbia cum adverbiis copulantur, exempli gratia bis ter[48]) pro „sexies", bis quater[49]) pro „octies"; ter deciens quater[50]) „tricies quater" significare puto, nisi omnia

---

[38]) VI 25369 = CE 59,1 ss. Romae: „[heic est] . . . Quincti Ranci feilia . . ., quoi fatum grave [infestae] Parcae ac finem vitae statuerunt, [vix quom ess]et bis decem anneis nata, indigniter"

[39]) CE 2272,5 Madauris

[40]) X 7569 = CE 1551 C, 1 Caralibus, cf. εἴκοσι δίς VI 32458 Romae

[41]) VIII 4524 = CE 574,8 Zarai: „ann(os) agens vitae bis quadra[ginta dicavit]";
„ter centum" pro „trecentis": XIII 6808 = CE 1590,4 s. Mogontiaci: „huic expletis ter centum ter denisque diebus invisae Parcae sollemnem celebrare diem"

[42]) XI 1147 Veleiae

[43]) VIII 20776 Auziae in Mauretania Caesariensi

[44]) VIII 10828 = CE 110,3 apud Nattabutes Numidiae

[45]) VI 28047 = CE 1128,3 Romae (cf. CE 574,8)

[46]) Rossi: Inscr. christ. urb. Rom. II p. 129, 10, 19

[47]) XII 942 = CE 667,5 Arelate; cf. III 734 = CE 289,1 s. Constantinopoli: „Teodosii iussis gemino nec mense peracto Constantinus ovans haec moenia firma locavit" (Thes. VI 1747,27 ss.)

[48]) VIII 24787 = CE 1943,4 Carthagine: hic melius pro „sex" („bis ter cum fine diebus")

[49]) Inscr. Hisp. chr. suppl. 456,8 Iliberri, a. 1002

[50]) Inscr. Hisp. chr. 12,4 prope Eboram in Lusitania, a. 593; cf. Mon. Ancyr. 3,25

numeralia inter se multiplicantur. Ad versum „ter decies bis ter q. simul transegerat annos“ [51]) Buecheler adnotavit „perplexum numeri indicium et captiosum, magis XXXVI puto quam XXXII.“

ϑ. De numeris distributivis et adverbiis numerorum in titulis Hispanis

Ad aeram [52]) significandam in titulis Hispanis omnia genera numerorum occurrunt („era δL quinque“ Di 1424 D adn. Emeritae, a. 517; „era sescentensima et octagensima“ Di 274,11 = CE 721, 11 in Cordubensi regione, a. 642). Inscriptiones saeculi sexti pro ordinalibus adverbia in „s“ desinentia praebent: trisis [53]), quattus [54]), sexsis [55]). Formam quattus, quo verbo „quattussis“ i. e. „quattuor asses“ denotari Buecheler [56]) demonstravit, etiam in titulo quodam Pompeiano [57]) et Tuficano [58]) legimus. Numeri maiores plerumque notati sunt. Forma quinquagis VI [59]) etiam ad numeros denarios significandos adverbia in „s“ desinentia in usu fuisse colligere possumus, nisi „quinquagis.“ compendium est ordinalis. Suspensio „siscens.“ vel „siscens.“ in dictione sisccens. quattus vel siscens. qattus [60]) utrum pro ordinali „sescentesima“ an pro adverbio „sescenties“ posita sit, diiudicare non audeo. Numerale „decies“ errore insertum in versu „sexcentum decies era nonagesima nobem“ [61]) Diehl numeris notatis ΔCXCVIII explicat [62]). „Era δXas“ [63]) et „era δL XXas“ [64]) „quingentesima(s) decimas“ et „quingentesima(s) septuagesimas“ significant [65]). Reliqua exempla numeralia Hispana saeculi decimi et undecimi, quae Huebner collegit, omitto, quod similia in ceteris regionibus imperii Romani eodem tempore desunt; linguae enim Romanenses iis saeculis iam perfectae erant.

---

51) V p. 617,7 = CE 1437,3 Mediolanii
52) cf. Di Ind. p. 273 ss.
53) Inscr. Hisp. chr. 304 Myrtili, a. 525
54) Inscr. Hisp. chr. 22 = Di 1428 prope Emeritam Lusitaniae, periit, a. 566
55) Inscr. Hisp. chr. 35 = Di 1439 A Emeritae Lusitaniae, periit, a. 518
Di 1447 C Cordubae, a. 638
56) ALL I 1884 p. 102, Mus. Rhen. 57, 1902 p. 325
57) IV 1679 Pompeis
58) XI 5717 Tufici
59) Di 2433 A Bracarae, a. 618
60) Di 1428 a, b prope Emeritam Lusitaniae, periit, a. 566
61) Di 1819,6 = CE 322,6 in Callaeciae regione, a. 661
62) Diehl: Zur Datierung lateinischer altchristlicher Inschriften (Festschrift für Judeich) p. 124
63) Di 1436 Myrtili, a. 472
64) Di 1436 adn. Emeritae, a. 532
65) Diehl: Festschrift für Judeich p. 123

d. De numeris fractis

De numerali „dimidius“

De sonis ac litteris

demid.: De vocabulo „dimidius“ Probus in „Appendice“ docet: „dimidius non demidius“, quam formam dissimilatione vocalium oriundam compendiatam demid.[1]) semel inveni.

demediorum, demediam: „E“ vocalis syllabae secundae etymologia restituta etiam syllabam primam assimilatione commutat in formis demediorum[2]), demediam[3]). Sed fortasse „demed-“ e „demid-“ assimilatione vocalium orta est.

De numerali „semis“

A. De orthographia

semise: Scriptura geminatio „s“ litterae in declinatione omittitur: semise[4]).

sems.: In fine tituli cuiusdam christiani (XIV 4224 = Di 3087 adn. in agro Albano) litterae corruptae „bixit . . . ora . . . sem.s“ leguntur; quae fortasse „horas [tot] semis“ declarari possunt.

s.: „Semis“ vocabulum „s“ littera notatum est in titulis duobus christianis (Di 2640 adn. Romae; XII 944 = CE 712 = Di 1644 subscr. Arelate a. 553).

B. De sonis ac litteris

semes: Assimilatio vocalium inversa occurrit in pretio indicato „auri solidum un(um) semes(sem)“ (Di 2137 Romae, a. 426).

simis: Syllaba prior posteriori adaequatur in simis[5]).

C. De syntaxi

semis non declinatum: „Semis“ saepe indeclinabile est ad analogiam numerorum „quattuor“ usque ad „centum“, exempli gratia „vixit annos duo semis“[6]), „dat sol. tres et semis“[7]) (cf. Di III p. 587 s.).

seimitum: In carmine quodam Africano hunc versum legimus: „vixi ego bis denos annos tres atque seimitum“[8]). Crispinam annos viginti tres et semissem vixisse verisimile est, cum Buecheler quoque adnotaverit: „„seimitum“ pro „semato semisse“ accipio“.

---

1) V 4489 Brixiae
2) X 3428 Miseni
3) VII 140 Sydney Park, in fano dei Nodontis, saec. I
4) III 6194 Troesmi
5) Inscr. Hisp. chr. 527 = Di 1725 in conventu Hispalitano, saec. VI; cf. Di 2687 s. adn.
6) Di 2136 Romae
7) Di 3792 Thessalonicae
8) CE 429,3 Caesareae in Mauretania

De ceteris numeris fractis simplicibus

De syntaxi

Numeri fracti simplices reliqui vocabulo „pars" cum ordinalibus copulato exprimuntur, veluti pars tertia[9]), pars quarta[10]), pars sexta[11]), pars tertia decuma[12]), pars vicensuma[13]), vicesma pars[14]), sed neque „pars secunda" neque „pars altera"[15]) in titulis inveni. Notatu dignus est versus „superavi . . . bis senam ex numero partem quam diximus anni"[16]), quo unus mensis significatur, non quattuor. Dictio „bis senam" pro „duodecimam" posita est.

De numeris fractis compositis

De syntaxi

Numeri fracti compositi diversis modis figurantur:

1.) Ordinalia ad ordinalia adduntur: pars quarta et quarta et vicensima[17]) ($^7/_{24}$).
2.) „Dimidium" ad ordinalia additur: dimidium et duodecum[a][18]) ($^7/_{12}$).
3.) Ordinalia cardinalibus multiplicantur: partes duae tertiae[19]) ($^2/_3$), centesimas duas[20]) ($^1/_{50}$).
4.) Cardinalia eodem modo ponuntur atque in 3.), sed ordinalia omittuntur. Ordinale supplendum semper unitate maius est quam cardinale, igitur duae partes[21]) ($^2/_3$) „partes duae tertiae" vel „trium partium duae" significat.

2. De vocabulis a numeris derivatis

a. De nominibus propriis

α. De nominibus mensum

Multa vocabula de numeris derivata in titulis reperimus, quorum nomina mensum creberrima sunt. De formis grammaticis eorum

---

9) VI 23810 Romae
XI 1147 Veleiae, saec. I
10) VI 15056 Romae
11) I¹ 199 = I² 584,27 = V 7749 prope Genuam, a. 117 a. Chr.
12) VI 6150 Romae
13) I¹ 199 = I² 584,27 = V 7749 prope Genuam, a. 117 a. Chr.
14) I¹ 187 = I² 37 = VI 29, cf. add. p. 3007 n. 30687 Romae
15) cf. Thes. I 1737,6 ss.
16) VIII 24787 = CE 1943,3 Carthagine, saec. III
17) VI 10248 Romae
18) VI 15056 Romae
19) II 1964, 64. 67. 68 Malacae, saec. I
20) II 5181,11 in lege met. Vipasc.
21) I¹ 198 = I² 583,49 in lege repetundarum, a. 123/22 a. Chr.
I² 594 I 4, 11, III 4, 2 in lege coloniae Ursonensis a. 44 a. Chr.
X 4842,41 in edict. imp. Aug.
II 1694, 61 Malacae

fere eadem statuimus ac de formis numeralium. Mensum nomina de numeris derivata haec sunt: „Quintilis", „Sextilis", „September", „October", „November", „December". Diehl [22]) in volumine tertio inscriptionum Latinarum christianarum veterum omnia notabilia de mensibus aetatis posterioris congessit; itaque suspensiones, contractiones, errores lapicidarum, orthographica, syntactica, metrica de mensibus praetermitto, sed tantummodo nonnullas quaestiones de sonis ac litteris eorum, quoad ad numeralia ipsa explicanda usui sunt, profero. Numero syllabarum, litterarum, accentu formas „Octó/br.", „Septé/br." („Seté/br."), „Nové/br.", „Decé/br." inter se aequas esse manifestum est. Etiam numeralia epigraphica „septe", „nove", „dece" nomina mensum „m" littera carentia effecerunt.

De nomine „Quintilis"

Quinctilis: Formam „quinctus" vetustiorem esse quam „quintus" sub hoc ordinali vidimus. „C" littera etiam restituta est in Quinct[ilis] [23]).

Quictilis: „N" scriptura omissa est in Quict(iles) [24]) (cf. „quique", „pricipis", „nuc").

Mensis Sextilis formas notabiles non inveni.

De nomine „September"

Settember sim.: Assimilatio consonantium „p" et „t" subest in formis Settember (Di 1702 adn. Carthagine), Settembris [25]), Sette. [26]), Setenbres [27]), Setebris [28]), Setebes [29]) (cf. „set."). In linguis Romanensibus eadem assimilatio perfecta est: Ital. „settembre", Raetorom. „setember", Francogall. medii aevi „setembre", Prov., Catal. „setembre", Hisp. „setiembre".

Septimb.: Formam „septim" ad analogiam cardinalium „undecim" sim. et ordinalium „septimus" sim. factam esse iam vidimus. Cum [S]eptimb. [30]) inveniamus, de dissimilatione vocalium quoque cogitare possumus.

Septeber sim.: „M" non modo exiens (cf. „septe"), sed etiam medio in vocabulo ante consonantes infirma est in Septeber [31]),

---

[22]) Di Ind. p. 296—301
[23]) VI 8261 Romae
[24]) I¹ 841 = I² 1035 = VI 8231 Romae
I¹ 206 = I² 593,98 prope vicum Pisticcio provinciae Basilicatae, a. 45 a. Chr.
[25]) XI 5021 = Di 3166 Trebiis in Umbria, a. 514
[26]) Rev. arch. 1906 II p. 476 Carthagine
[27]) Di 2794 Aceuchal, a. 462
[28]) Di 3756 Romae
[29]) Di 2952 C Romae
[30]) VI 9825 = Di 623 Romae
[31]) XIII 11304 = Di 2803 C apud Ambianos in Gallia Belgica

Septebres[32]), Septebris[33]), Septeb.[34]). Nasalis etiam ad analogiam mensis „October" elisa esse potest.

De nomine „October"

Noctobres: Ut „nepte" secundum „novem", ita ad analogiam formae „Novembres" Noctobres[35]) figurata est.

Uctobres, Uctobris: Prinz[36]) in parte „de dissimilatione" capitis „„U" pro „o" in vocum radicibus" dicit: „Uctobres[37]) legitur in duobus titulis christianis. In hac voce „u" pro „o" etiam metathesi vocalium explicari potest, cum „Octubres" in lingua vulgari valde usitatum fuerit."

Ohtuberes: Aspirationem ad analogiam numeri Celtici „oxtu" (lege „ochtu") = „octo" videmus in forma Ohtuberes[38]). Eodem in titulo „oh" pronomen pro „hoc" invenimus.

Occob.: Assimilatio progressiva consonantium subest in Occob.[39]).

Ottobres: Regressiva assimilatione forma Ottobres[40]) orta est (cf. ital. „Ottobre").

Octimbris: Syllaba secunda „-to-" in „-tim-" mutatur ad analogiam formarum „Septimb.", „Novimb.": Octimbris[41]) (cf. Prov. „octembre", Francogall. medii aevi „uitembre").

Octuber sim.: Undeviginti exempla formae Octuber sim. in regionibus imperii Romani occurrunt, quam figuram Prinz[42]) potius labiali „b" sequente vel vi linguae Oscae („octufri") quam dissimilatione vocalium ortam esse censet (cf. Hisp. vet. „ochubre", Lus. „vutubre", Catal. „uytubre"). „Octuginta" sim. fortasse ab „Octuber" sim. „u" litteram accepit[43]).

De nomine „November"

Nuembres: Formam Nuembres[44]) Prinz[45]) vi dialectorum Italicarum effectam esse putat (cf. Umbr. „nuvime" = „nonum").

---

32) Di 3023, 4227 Romae
33) V 5420 = Di 1733 c prope Comum, a. 463
XIII 2477 = Di 1075 subscr. apud Ambarros, a. 630
34) V 1699 = Di 557 Belignae prope Aquileiam, periit
35) VIII 21752 = Di 2860 D Altavae in Mauretania, a. 398
36) Prinz p. 81
37) IX 1069 b = Di 1242 adn. in agro Compsino („Uctobres")
Di 2825 Romae („Uctobris")
38) XIII 8481 = Di 2918 Coloniae Agrippinensium
39) V 6257 = Di 1500 Mediolanii, a. 409
40) Di 2999 C Romae
XI 2537 = Di 3033 Clusii in Etruria, ca. a. 300
41) Di 1308 Genavae
42) Prinz p. 69 s.
43) Prinz p. 71
44) IV 2455 Pompeis
45) Prinz p. 81

N a v e m b.: „O“ apertam in „å“ transire posteaque in „a“ mutari posse Seelmann[46]) commemorat et exempla „Theudasio“, „caortis“ profert: N a v e m b.[47]).

N o b e m b e r sim.: Figuras betacismo affectas N o b e m b r e s, N o b e m b r i s, N o b e b r. (X 1342 = Di 1709 a prope Nolam, periit, saec. V) sim. Diehl[48]) in indice inscriptionum fere centum praecipue saeculi quarti, quinti, sexti congessit (cf. „nobe“).

N o e m b r e s sim.: „V“ inter vocales exstinguitur in formis N o e m b r e s[49]), N o e m b r.[50]), N o e m b.[51]), N o e m.[52]) (cf. „octaum“, „octao“).

N o v i m b.: „E“ in „i“ commutatur in forma N o v i m b.[53]) (cf. „Septimb.“, „Octimbris“). Cardinale „novim“ secundum „undecim“ sim. formatum esse exposui.

De nomine „December“ (cf. Thes. V 126, 61 ss.)

D i c e s.: Dissimitationem vocalium praebet contractio D i c e s[54]).

D e c e b r e s sim.: Nasalis eliditur ut in „Septebres“ sim. in formis D e c e b r e s[55]), D e c e b r i s[56]), D e c e b r.[57]), D e c e b s.[58]), D e c e b.[59]) (cf. „dece“).

U n d e c e m b r e s: In lege Tappula convivali legimus „a. d. XI k. U n d e [c e m b r.]“[60]), quod est nomen iocosum mensis, qui Decembrem subsequi debebat.

β. De nominibus hominum

Nomina hominum numeris formata fere omnia ex ordinalibus derivata sunt. De omnibus formis exitibusque talium nominum verba facere huius scripti non est. Ea tantummodo momina referenda sunt, e quibus de formis numerorum conclusiones colligi possunt. Priusquam

---

46) Seelmann p. 213
47) XI 2837 = Di 4333 A adn. Volsiniis
48) Di III p. 299 s.
49) XIV 1923 = Di 3218 Ostiae, saec. II ex. („Noembrps“)
50) XI 6041 Pitini
51) VI 2120 Romae, a. 164
VI 8775 Romae, a. 187
52) I¹ 831 = I² 1024 = VI 8220 Romae
I¹ 909 = I² 1110 = VI 8306 Romae
I¹ 924 = I² 1124 = VI 8320 Romae
IV 4606 Pompeis
53) Nouv. rec. 395 Treveris (ibid. „Noveb.“)
54) VI = Di 636 9400 Romae, periit
55) Di 3250, 4264 adn. Romae
56) I¹ 930 = I² 1130 = VI 8326 Romae
X 7168 = Di 2933 B Syracusis, a. 431
57) VIII 10517 = Di 2937 Ammaedarae in Africa proconsulari
58) X 7752 = Di 3061 A Caralibus in Sardinia
59) Di 2799 Romae
60) DE 8761 Vercellis

ad exempla epigraphica ipsa transiero, id quod Varro[61]) in opere „De lingua Latina“ de nominibus ab ordinalibus derivatis scripsit, commemorem: „. . . itaque ibi (in nostris nominibus) apparet analogia ac dicitur „Terentius“ vir, „Terentia“ femina, „Terentium“ genus. in praenominibus ideo non fit item, quod haec instituta ad usum singularia, quibus discernerentur nomina gentilicia, ut ab numero „Secunda“, „Tertia“, „Quarta“, in viris ut „Quintus“, „Sextus“, „Decimus“, sic ab aliis rebus.“ Quam regulam saepe neglectam esse exemplis videbimus.

De nominibus a „primus“ derivatis

Preimus: In titulis vetustis dipthongus „ei“ pro „i“ producta ponitur (cf. „veiginti“): Preimus[62]); cf. Πρειμα (Di 3986 adn. Romae).

Prímigenius: Etiam apex vocales productas significat: Prímigenius[63]).

Priimitiva: Praeterea vocalis producta littera geminata exprimi potest: Priimitiva (XIII 3877 = Di 3242 A adn. Treveris).

Prencepia: In eodem titulo in quo Prencepia[64]) occurrit, etiam „menus“, „vergo“, „neofeta“ legimus.

Primmitiva: In titulo quodam Hispano Primmitiva[65]) legi; in inscriptionibus enim consonantes saepe sine causa etymologica geminantur. Dessau in indicibus inscriptionum selectarum ducenta fere exempla epigraphica consonantium geminarum pro simplicibus affert (DE III 2 p. 803 s.), inter quae „dimmissus“, „domminor(um)“, „immagin(ifer)“ sunt.

De nominibus a „secundus“ derivatis

Saecundus sim.: „E“ vocalis syllabae apertae in „ae“ transit: Saecundus[66]), Saecunda[67]), Saequndianus[68]) (cf. „Deutaera“[69])).

Secondos sim.: Exitus „-undus“ ex „-ondos“ ortus est. Saecondus[70]), Secondo[71]).

Secndi: Nasalem sonantem legimus in forma Secndi[72]).

---

61) Varro l. L. IX 59 s.
62) X 4044 Capuae
63) X 2300 Puteolis
64) V 6257 = Di 1500 a Mediolanii, a. 409
65) II 2839 Numantiae
66) Di 4052 Velitris
67) Di 4124 B Romae
IV 5817 Pompeis
68) XIV 1920 = Di 3201 A Ostiae
69) XIV 1581 Ostiae
70) VIII 12197 = Di 3950 Sidi Amara in Byzacena
71) VI 36577 Romae
72) XV 3626 Romae

Secunus, Secudus sim.: Cum littera dentalis nasalem sequatur, aut „n“ aut „d“ omitti potest: Secunus[73]), Secudus[74]), Secudae[75]); cf. Σεκουδινα (Di 2502 adn. Romae), Secude (Di 1462 Thabracae).

Secumdina: Notatione digna est scriptura Secumdina (Di 4672 Romae).

De nominibus a „tertius“ derivatis

Trtia: „R“ sonans exstat in Trtia[76]).

Terteola: Assimilatio vocalium subest in Terteola[77]) pro „Tertiola“ (cf. „terteo‘).

Terty: „I“ semivocalis facta posteaque exstincta est in Terty[78]), nisi haec forma ad analogiam numeri „quartus“ orta est (cf. „tertu“).

De nominibus a „quartus“ derivatis

Quártilla: Numeri „quartus“ litteram „a“ priorem productam esse apice demonstratur: Quártilla[79]). Confer ea, quae de ordinali „quārtus“ p. 95 disserui.

Quorta: Sommer[80]) formam Praenestinam Quorta[81]) vetustiorem putat esse quam Latinam „Quarta“ (cf. p. 95).

Quodratus, Codratus, Κοδρατος: Hic cum „Quorta“ comparandi causa nonnulla nomina addo non a „quartus“ derivata, sed numeralibus „quattuor“ et „quartus“ etymologice propinqua. Syllaba „va-“ ante ictum posita interdum in „vo-“ mutatur (Leumann § 19 p. 56), exempli causa „vacīvos“ > „vocīvos“. Eodem modo syllaba „qua-“ ante accentum in „quo-“ transire potest (Leumann § 77 p. 91), ideo Quodratus[82]). Formis Codrato (III 12495 Hazidülek in Moesia inferiore, a. 142) et Κοδρατω (VI 11933 Romae) confer κοδράντης = „quadrans“, „cotidie“ vel „cottidie“ < „*quotiteidie“, „coquo“ < „*quoquo“ < „*quequo“ < „*pequo“ (cf. Eckinger p. 121).

Quata: „R“ sonus nonnumquam infirmus est: Quate[83]) (cf. „tesia“).

De nominibus a „quintus“ derivatis

Qinta: Scriptura mera orthographica pro „Quinta“ est Qinta in tit. VIII 23020,33 = Di 3965 Fe (Hadrumeti); cf. „quattor“, „qiqε“ sim.

---

[73]) Not. scav. 1892 p. 124 Brundisii
[74]) VI 3375 Romae
VIII 11858 Mactari in provincia Byzacena
[75]) VI 3938 Romae
[76]) I² 289 = XIV 3251 Praeneste
[77]) II 5893 Valeriae
[78]) VI 27051 Romae
[79]) II 4359 Tarracone
[80]) Sommer § 312
[81]) XIV 3283 = I² 328 Praeneste
[82]) III 6581 prope Alexandriam Aegypti, a. 199
[83]) Di 4123 Romae

Queinctius sim.: „I" syllabae primae ante „nct" producta est (cf. „ūnctus", „sānctus"): Queinctius[84]), Queinctio[85]), Queintus[86]).

Cuntus: Syllaba prima „i" elisa gravis fit: Cun[tus][87]) (cf. „qunque").

Quitus sim.: „N" ante consonantem omittitur: Quitus[88]), Quiti[89]), Quitinus[90]) (cf. „quique", „Secudus").

Quinctus sim.: „C" vetustae — praecipue in urbe — conservatae fere septuaginta exempla in titulis inveni nominis „Quinctus" et derivatorum. Interdum formae cum „c" et sine „c" in eodem titulo occurrunt, exempli causa Quinctia — Quintius[91]), Quinctilae — Quintilius[92]), Quinctilia — Quinta[93]), Quinctius — Quintius[94]).

De nominibus a „sextus" derivatis

Csestius: Metathesis soni palatalis subest in forma Csestius[1]) (cf. „xes").

Sestius sim.: Secundum leges linguae ordinale Indogermanicum „*suekstos" in lingua Latina „sestus" fieri debuit; sed ad analogiam cardinalis „sex" ordinale „sextus" restitutum est[2]). Forma rectior conservata est in nominibus Sestius[3]), Sesti[4]), Sestio (Di 4037 Romae), Sest.[5]), Sestia[6]), Sestiliu[s] (VI 34728 b = Di 3745 Romae), Sestilla[7]). Sestaliensis[8]) „Sextantium" sive „Sextantionem" Galliae Narbonensis oppidum indicare Hübner ad titulum adnotavit.

---

84) X 5282 Casini
85) Esp. 597 Narbone
86) IV 4563 Pompeis
87) I¹ 939 = I² 1139 = VI 8335 Romae („„Cuntus" more Graecorum pro „Quintus"" in editione altera voluminis primi corporis inscriptionum Latinarum adnotatum est)
88) II 3086 Toleti
89) XIII 10017,718 b Stockstadt
90) XIV 2287 in agro Albano
91) VI 7454 Romae
92) VI 25285 Romae
93) VI 17675 Romae
94) VI 32340 Romae, a. 20

1) VI 6860 Romae
2) Sommer § 312
3) VI 26460/73 Romae
4) II 4970,480 Tarracone
II 2462 (cf. 5611) Viannae prope Bracaram Augustam in Hispania Tarraconensi
II 6257,181 Emporiis
XV 1445 Romae (ibid. „Sexti")
5) XV 5584 Romae
6) VI 35598 Romae
7) VI 35176 Romae
8) II 852 Caperae

De nominibus a „septimus“ et „septem“ derivatis

Setimus: „P“ et „t“ in „tt“ assimilantur, una tantummodo dentalis scribitur in Setimus[9]); cf. Sεtimina (XI 4053 = Di 2960 A adn. prope Rignano).

Septumus sim.: De sono inter „i“ et „u“, qui saepe vocali „u“ exprimitur, supra verba feci. In titulis nominis Septumus eiusque derivatorum fere quadraginta exempla inveni, quae praecipue Romana et Italiana, sed etiam Hispana et Gallica sunt.

September: Nomen hominis fortasse September[10]) est in cochleari quodam Gallico. „September“ aut nomen mensis ad cochlearis originem significandam aut nomen proprium esse Heraeus adnotavit.

De nominibus ab „octavus“ et „octo“ derivatis

Octávius: Syllabam secundam productam esse apice superposito demonstratur. Lingua Latina e temporibus Indogermanicis quantitatem conservavit („*oktōu̯-os“): Octávius[11]).

Octabius sim.: Betacismus, ut ita dicam, in inscriptionibus Romanis occurrit: Octabio[12]), Otabian.[13]), Octabia[14]), Octabiae[15]), Octabiana[16]).

Hoctavius: Sicut „hocto“, „hocsies“ in titulis Gallicis, ita Hoctavius[17]) in inscriptione quadam Hispana, Hoctavie in titulo quodam Romano (Di 3802 A) invenitur.

Otavius sim.: Assimilatio consonantium subest in Otavius[18]), Otaus[19]), Otabian.[20]).

Otaus: „V“ inter vocales omissa est: Otaus[21]) (cf. „octao“, „Noembres“).

Octimus: Ad analogiam ordinalium „septimus“, „decimus“ forma „Octimus“ orta est, quae in inscriptione quadam bilingui Asiae legitur figuris 'Οκτίμῳ[22]) et Octemo (cf. „septemus“, „decemus“, Francogall. „oitme“ sim. p. 150).

---

9) VI 32515 Romae, a. 120
10) XIII 10026,71 = Di 2360 b Luguduni
11) X 2796 Puteolis
12) Di 4011 D adn. Romae
13) Di 1144 adn. Romae
14) VI 34113 = Di 4113 B Romae (cf. VI 18091)
Di 196 Romae („Oc[t]abia“)
15) VI 23333, 23335 Romae
16) VI 28358, 31953 = Di 224 b Romae
17) II 601 Emeritae
18) IX 154 Brundisii
19) IV 4870 Pompeis
20) Di 1144 adn. Romae
21) IV 4870 Pompeis
22) III 14188 = Di 2180 prope Nicomediam

De nominibus a „nonus" et „novem" derivatis

Nónius: Numerus „nonus" e „*novenos" ortus est; itaque syllaba prima producta est: Nónius[23].

November: Nomen viri e nomine mensis pendens November est in titulo quodam christiano Romano deperdito (VI 10014 = Di 737 A); cf. „September".

De nominibus a „decimus" derivatis

Dcumius: Vocalis inter „d" et „c" exstinguitur in dialecto Praenestina[24]: Dcumius[25].

Decumus sim.: In titulis Romanis et Gallicis nomen Decumus eiusque derivata tricies legi (cf. „Septumus").

Decemius: Ad analogiam numeri „decem" orta est forma Decemi(us)[26].

Decmius sim.: Vocalis inter „c" et „m" saepe exstinguitur: Decmius[27], Decmi[28], Decmia[29], Decminus[30], Decmini[31], Decmina[32], Decmilla[33], Decmillae[34], Decmille[35], Decmiola[36], Decmanus[37]. Fere omnia exempla Gallica sunt.

December sim.: Hominis nomen December (Di 2614 A adn. Romae) est, fortasse etiam Decembe (Di 3990 A Romae); cf. „September", „November". In titulo quodam iudaico (Di 4977 Romae) Decenbro legimus.

b. De vocabulis cum numeris copulatis

Etiam hic pauca tantummodo exempla eligo, quibus mutationes numeralium cognosci possunt.

---

23) IX 3942 Albae
X 1472 Herculanei
X 6672 Antii
24) Sommer § 86
25) I¹ 1133 = I² 1445 = XIV 2855 Praeneste
26) XIV 3507 Ciciliani in Latio
27) XIII 1990 Luguduni (ibid. „Decimiae")
28) VI 33106 Romae
XIII 4441 Mediomatricis
XIII 5755 Andemantunni in Germania superiore
XIII 10010/765 g Lutetiae Parisiorum
29) XIII 2577 apud Ambarros
30) XIII 2847 in agro Haeduorum septentrionali
31) XIII 4719 apud Leucos in Gallia Belgica
32) XIII 4190 Treveris
33) XIII 5462 prope Dibionem
34) XIII 1990 Luguduni
35) XIII 4370 Mediomatricis
36) XIII 2577 apud Ambarros
37) Not. scav. 1920 p. 39 Romae
XIII 1990 Luguduni
XIII 7222 prope Moguntiacum, a. 198

De vocabulis cum „unus" copulatis

oinvorsei: Vetustissimam numeri „unus" formam legimus in vocabulo composito oinvorsei[1]) pro „universi".

De vocabulis cum „duo" vel „bis" copulatis

duovir, duumvir: De „duoviri" et „duumviratus", quae vocabula saepissime in titulis occurrunt, cf. Thes. V 2253 et V 2316. Semel apex male positus est in duúmviratum[2]). Non tres, sed duas syllabas habet „dumvir" in versu „flamen, item dumvir, quaestor pagiq. magister"[3]).

biennium: Praeter viennium (Di 1486 Romae) notandae sunt formae benio[4]) et beniu[5]), in quibus „i" semivocalis „i̯" facta elisa est.

biscandeus: Vocabulum, quod idem ac „bisomus" significat, „biscandens" est. Tres formas vulgares invenimus: bescandente[6]) (cf. „bes" pro „bis"), viscandente[7]) (cf. „vis" pro „bis"), vescandente (Di 3815 adn. Romae).

bisomus: Id vocabulum saepe in inscriptionibus Di 3797 ss. occurrit. Bisomus (sc. locus) sepulcrum est duo corpora continens (bis — σῶμα). Syllaba prima variis formis utitur. Vocalis, quae est inter „i" et „u", interdum videtur enuntiata esse in formis bysom.[8]), busomum[9]), dusomum[10]), quod vocabulum ad analogiam numeri cardinalis „duo" ortum est. Temporibus posterioribus litterae „b" et „v" promiscue in usu sunt: visomus[11]) cf. „Octover"). Ut „bis" in „bes", ita etiam „bisomus" in besomus[12]) transiit. Semel labialis tenuis occurrit: pisomu[13]).

De vocabulis cum „tres" vel „ter" copulatis

triennium: Pro „triennium" forma trenium[14]) semel invenitur (cf. „beniu").

---

[1] I¹ 196 = I² 581 = X 104 in agro Teurano, a. 186 a. Chr.
[2]) X 1081 Constantiae
[3]) CE 260,1 in Novempopulania
[4]) V 6404 = CE 692,5 = Di 1041,5 Laude Pompeia prope Mediolanium, periit a. 176 (ibid. „bes" pro „bis")
[5]) VIII 8641 = Di 3619 Sitifi, a. 419
[6]) Di 3815 Romae
[7]) Not. scav. 1905 p. 116 = Di 3815 A adn. Romae
[8]) Di 3809 A Romae
[9]) Di 3797 Romae, a. 344
[10]) Di 3807 E b Romae
[11]) Di 3799 B, 3804 D, 3812 A, 3813, 3814 Romae
[12]) Di 3803 A, 3810, 3812 B Romae
[13]) Di 3809 Romae
[14]) Di 4127 B Romae

tercandens: Vocabuli tercandens[15]) figurae vulgares non leguntur.

trisomus: In titulo quodam iudaico originis urbanae trisomu[16]) invenimus.

De vocabulis cum „quattuor" vel „quater" copulatis

quattus: De vocabulo quattus cum „as" composito cf. p. 122 et 131.

quadrisomus: Praeter formas rectas quadrisomu[17]) et quadrisomum[18]) semel a quadratario errore quadricsomu[19]) incisum est.

quattervir: Numeri „quattuor" et „quater" permixti sunt in compositione quattervi[r][20]).

De vocabulis cum „quinque" copulatis

quinquennium: Formam „vin" pro „quinque" (cf. p. 39) re vera in usu fuisse compositionibus vinvenn.[21]) et vinveniu[22]) pro „quinquennium" demonstratur.

De vocabulis cum „sex" copulatis

sevir, sexmestris: Numerus „sex" in compositionibus in „se" mutatur: „sevir" passim: sed „x" retenta aut restituta est in sexm[estris][23]).

De vocabulis cum „nonus" copulatis

noundinum: Vocabulum noundinum[24]) Sommer[25]) eo modo explicat ex „*nou̯endinom" ortum esse, ut „e" vocali elisa „u̯" semivocalis „u" facta esset, quae vocalis cum „o" in dipthongum coalescit (cf. „nounas"[26])).

---

15) VI 9157, 9809 add. p. 3470 Romae
16) Di 4942 originis urbanae, a. 400 (iud.)
17) Di 3820 Romae, a. 387/390
18) Di 3822 Romae, a. 394
19) Di 3821 Romae, a. 391
20) XIV 352 Ostiae
21) Di 4915 Romae
22) VIII 14199 = Di 2642 Carthagine
23) VIII 2586 Lambaesi
24) I¹ 196 = I² 581 = X 104 in agro Teurano, a. 186 a. Chr.
25) Sommer § 94
26) X 2381 Puteolis, a. 5 a. Chr.

De vocabulis cum „decem“ copulatis

decenvir: Dissimilatione labialium „m“ et „v“ forma decenvir[27]) orta est.

dec(emiugis): Suspensiones inscriptionis cuiusdam Romanae[28]) „vicit . . . praemia . . . dec. n. IX“ in „dec(emiuge) n(umero)“ dissolvendae sunt.

De vocabulis a „vicesimus“ derivatis

vicessumarius: Syllaba „-ens“ ordinalium denariorum in „-ess-“ assimilata est in forma vicessumarius[29]).

De vocabulis a „duceni“ derivatis

ducenarius: Priscianus[30]) in libro „De figuris numerorum“ docet: „Ducenteni et per syncopam duceni“. A forma breviore vocabulum ducenarius[31]) derivatum est.

---

27) VI 32433 Romae
VIII 10945 Oppidi novi
28) VI 10049 a, 8 Romae
29) XI 842 Mutinae
30) Gramm. Lat. III 413,35
31) VI 10048,11 Romae, cf. Di 497—502

C. Finis

Quibus viribus numeralia Latina epigraphica formas novas cepissent, demonstravi. Eas vires non solum sermonis Latini vulgaris proprias esse nonnullis exemplis e dialectis Italicis, lingua Graeca eiusque dialectis, Germanicis, Celticis hodiernisque sermonibus, quoad linguis antiquis orti sunt, selectis breviter exponam. Gravissima et frequentissima vis, qua formae numeralium novae figurantur, analogia est.

I. De analogia

a. De dialectis Italicis

In dialectis veteribus Italicis pauca tantummodo exempla analogiae inveni.

Lingua Osca has dictiones notabiles nobis praebet: Adverbium numerale „pomtis“ [1]) adverbio Latino „quinquies“ non respondet, sed ad analogiam adverbiorum veterum „*du̯is“, „*tris“ formatum est.

„Pumperia“ [2]), i. e. collegium quinque hominum, consonantem „r“ e substantivo de numero „petora“ (cf. glossam Festi in libro „De verborum significatione“: „Petoritum vehiculum Gallicum; alii Osce putant dictum, quod hi petora quattuor appellant; quattuor enim habet rotas“) formato „*petoria“, quod lingua Osca non conservavit, sumpsit. Cuius vocabuli de numero „*qu̯et u̯eres“ deducti formatio Indogermanica „*qu̯et u̯eri̯i̯ā“ fuisset.

Dialecti Umbricae haec exempla analogiae statuenda sunt: Ordinale „nuvime“ [3]) secundum numerale sequens „*dekime“, quod periit, formatum est. Numerum respondentem Latinum „nōnum“ comparare possumus, qui non analogia, sed legibus linguae contractione vocalium e „*novenos“ ortus est.

Adverbium numerale „*dutiom“ > „duti“ [4]), i. e. „iterum“, ad analogiam adverbii sequentis „*tertiom“ > „tertim“ figuratum est; ordinale enim „secundus“ in lingua Umbrica „*dutios“ non est, sed „etre“.

Similiter atque Osc. „pomtis“ adverbium Umbricum „nuvis“ [5]) secundum „*du̯is“, „*tris“ formatum est.

---

[1]) Buck: Elementarbuch der oskisch-umbrischen Dialekte, Heidelberg 1905 § 164 p. 87

[2]) Brugmann: Grundriß der vergleichenden Grammatik der indogermanischen Sprachen II 2^2, Straßburg 1911 § 81 p. 77

[3]) Brugmann: Grundriß II 2^2 § 56 p. 57

[4]) Buck: § 163 p. 86

[5]) Buck: § 164 p. 87

b. De lingua Graeca

Magnum numerum exemplorum analogiae in lingua Graeca dialectisque Graecis inveni. Quae enumerans ita progredior, ut primum dictiones analogicas linguae Graecae antiquae afferam posteaque nonnulla exempla e lingua Graeca recenti selecta.

Numerus δύο [6]) indeclinabilis esse potest secundum numeralia πέντε usque ad ἑκατόν apud Homerum, Thucydidem, Platonem, Demosthenem, Archimedem, in inscriptionibus Lesbicis, Messeniacis, Delphicis.

Boeot. πέτταρε [7]) secundum πέντε, πέττα secundum ἑπτά, δέκα formatum est.

In dialecto Aeolica multa cardinalia ad analogiam numeralium minorum δύο, τρῆς, πέσσυρες in casus declinari possunt. Ita apud Alcaeum in carmine πρὸς Ἀντιμενίδαν casus genetivus πέμπων occurrit. Versus fragmenti citati est: πάχεων ἀπὺ πέμπων [8]).

Boeot. ὀκτό [9]) ter invenitur. Dubium non est, quin numerale secundum δύο formatum sit.

Hydrunti cardinale „oftó" litteram „f" e numero praecedenti „eftá" sumpsit (cf. Gerhard Rohlfs: Etymologisches Wörterbuch der unteritalienischen Gräzität, Halle 1930 Nr. 681, 1506).

Heracl. ὀκτώ, ἐνενήκοντα [10]) spiritum asperum e numeris ἕξ, ἑπτά, ἑξήκοντα, ἑβδομήκοντα, El. ὀπτώ [11]) consonantem π e numero ἑπτά assumpsit. Quibus de dictionibus analogicis Hatzidakis in libro Ἀκαδημεϊκὰ ἀναγνώσματα εἰς τὴν Ἑλληνικήν, Λατινικὴν καὶ εἰς τὴν Ἰνδικὴν γραμματικήν [12]) in capite περὶ τῆς ἀναλογίας ἐν τῇ γλώσσῃ docet: Κατὰ τὸ ἕξ ἑπτὰ ἐδασύνθη ἐν Ἡρακλείᾳ τὸ ὀκτὼ ὀγδοήκοντα ὀκτακάτιοι ἐννέα ἐνενήκοντα, ἀλλ' οὐχὶ καὶ τἀνάπαλιν, ἤτοι δὲν ἐψιλώθη τὸ ἑπτὰ κατὰ τὸ ὀκτώ, ἐννέα. Ἐν Ἠλείᾳ ἐλέχθη ὀπτώ κατὰ ἑπτά, ἀλλ' οὐχὶ καὶ ἀντιστρόφως *ἐκτὰ κατὰ τὸ ὀκτώ.

Aeque ac πέμπων etiam casum genetivum δυοκαιδέκων [13]) apud Alcaeum invenimus in versu ◡ ◡ — ◡ ◡ εἷς τῶν δυοκαιδέκων.

Apud Hesychium ἰκάντιν [14]) · εἴκοσι occurrit. Ex numeris denariis in -κοντα exeuntibus consonantes ντ in ἰκάντιν quoque invaserunt.

Ion., Att., Lesb. εἴκοσι [15]), quae forma etiam in titulis Doricis posterioribus occurrit, vocalem ο e numeris denariis in -κοντα exeuntibus assumpsit. Forma antiquissima ϝίκατι, quae in inscriptione quadam Cretica, in tabulis Heracleensibus, in dialectis Boeotica et Laconica invenitur, leges linguae Graecae maxime sequitur.

---

6) Meyer: Griechische Grammatik, Leipzig 1896 § 398 p. 496
7) Meyer § 400 p. 499
8) Diehl: Anthologia lyrica Graeca², Lipsiae 1935 fasc. 4 p. 115
9) Meyer § 404 p. 502
10) Diehl: De M finali epigraphica, Lipsiae 1899 p. 194
11) Meyer § 404 p. 502
12) ἐν Ἀθήναις 1902 I p. 218
13) Diehl Anth. lyr. Gr.² fasc. 4 p. 91 frg. 9 C
14) Meyer § 18 p. 52
15) Meyer § 18 p. 51

Forma declinata εἰκόσιοι[16]) sine dubio secundum διακόσιοι figurata est.

Numerus τριάκοντα[17]) α vocali correpta ad analogiam numeralis τεσσαράκοντα formatus est, item ἑβδομάκοντ᾽[18]).

Apud Hesiodum in opere Ἔργα καὶ ἡμέραι v. 696 casum genetivum τριηκόντων[19]) legimus, praeterea in inscriptionibus quibusdam Graecis τεσσ[ερ]ακόντων,[20]), πεντηκόντων[21]), ἐνενηκόντων[22]). Omnes hae formae vi dialecti Aeolicae (cf. p. 146) exitum -ων e numeralibus centenariis attraxerunt.

Similiter atque εἴκοσι etiam Arcad. ἑκοτόν[23]) vocalem ο e numeris denariis in -κοντα exeuntibus assumpsit.

Att. διακόσιοι, Ion. διηκόσιοι[25]) vocalem productam e τριακόσιοι, τριηκόσιοι assumpserunt, quae formae secundum τριάκοντα, τριήκοντα[26]) figuratae sunt. Sed etiam hic vocalis producta originalis non est[27]): Iohannes Schmidt[28]) in libro de formis numeri pluralis nominum generis neutri in linguis Indogermanicis τριήκοντα secundum πεντήκοντα putat formatum esse. Etiam numeralia ἑξήκοντα, ἑβδομήκοντα sim. analogiam numeri πεντήκοντα secuta esse Brugmann[29]) docet in grammatica Graeca.

Ad ordinalia pervenimus.

Iam apud Homerum iuxta δεύτερος, τρίτος sim. δεύτατος, τρίτατος legitur. Quibus de formis Hatzidakis in libro Ἀκαδημεϊκὰ ἀναγνώσματα εἰς τὴν Ἑλληνικήν, Λατινικὴν καὶ εἰς τὴν Ἰνδικὴν γραμματικήν in capite περὶ τῆς ἀναλογίας ἐν τῇ γλώσσῃ (I p. 227) dicit: Ἡ κατάληξις -ατος ὡρμήθη ἀπὸ τοῦ τρίτατος λεχθέντος παρὰ τὸ τρίτος κατὰ τὸ δέκατος, ἔνατος, τέτρατος, ὅπως τὸ ὀγδόατος, ἑβδόματος παρὰ τὸ ὄγδοος, ἕβδομος.

Hesychius δυνδεκάτη[30]) · ἡμέρᾳ δωδεκάτῃ praebet, quae forma numero ἑνδεκάτη adaptata est.

Formae, quae in compositionibus adhibentur, πεντα-[31]), ἑξα-[32]), ὀκτα-[33]) sim. ad analogiam numeralium ἑπτα-, δεκα- figuratae sunt.

---

16) Anth. Pal. App. 262
17) Anth. Pal. IX 682,4
18) Orac. Sibyll. XII 96
19) Meyer § 399 p. 498
20) Meyer § 400 p. 499
21) Meyer § 401 p. 501
22) Meyer § 405 p. 502
23) Meyer § 400 p. 500
24) Meyer § 18 p. 51
25) Meyer § 398 p. 497
26) Meyer § 399 p. 498
27) Meyer § 368 p. 466
28) Schmidt: Pluralbildungen p. 39
29) Brugmann: Gr. Gr. § 244 p. 253
30) Meyer § 398 p. 497
31) Meyer § 401 p. 501
32) Meyer § 402 p. 501
33) Meyer § 404 p. 502

Nomina composita ἑκατοντακάρηνος apud Pindarum, ἑκατονταετής, ἑκατονταετηρίς apud Pindarum et Platonem, ἑκατοντάδραχμος apud Galenum ad analogiam numeralium denariorum in -κοντα exeuntium formata sunt [34]).

Exemplis linguae Graecae antiquae absolutis nonnullas dictiones analogicas e lingua Graeca recenti selectas commemoro:

Iuxta ἕξι etiam ἕξε in lingua Graeca hodierna occurrit, quae forma numero πέντε adaptata est.

Numerum ἐννιά [36]) duabus syllabis ἐννιά metiri debemus, quae forma numeralia ἑφτά - ὀχτώ - ἐννιά conformandi causa figurata est. Eadem de causa accentus in ultimam syllabam processit.

c. De linguis Germanicis

Linguae Germanicae quoque nonnulla exempla analogiae praebent:

In lingua Gotonum, qui Chersonesum Tauricam incolebant, „fyder" vocalem „y" e numero sequente „fyuf" sumpsit [37]).

Hodie saepe „ölf" secundum „zwölf" enuntiatur [38]).

In lingua Frisionum ordinale „achtunda" [39]) secundum „siugunda", „niugunda" formatum est, item in linguis Germanicis septentrionalibus „áttande" [40]) secundum „siunde", „niunde", „tiunde".

Temporibus medii aevi in dialecto quadam Germanica, quae prope Rhenum flumen in usu erat, „achteste", „dreizehendest" [41]) ad analogiam numeralium denariorum pronuntiabatur.

d. De linguis Celticis

Pauca tantummodo exempla analogiae e linguis Celticis elegi.

Lingua Hibernica in exitu numeralium „secht", „noi", „deic" sonos nasales non servavit, sed nasales substantivo sequenti praefiguntur, veluti „secht mbrathar" [42]): septem fratrum, „noi mbae" [43]): novem vaccae, „deic mbai" [44]): decem vaccae. Ideo nasalis quoque nomini sequenti praefigitur post „ocht", „oct" [45]), exempli gratia „ocht ndeich": octo pedes, „ocht naisle": octo articuli, „oct mba": octo vaccae.

---

34) Meyer § 407 p. 504
35) Thumb: Handbuch der neugriechischen Volkssprache, Straßburg 1910 § 127 p. 75
36) Thumb § 127 p. 75
37) Loewe: Die Krimgotenfrage (I F XIII p. 14)
38) Kluge: Etymologisches Wörterbuch der deutschen Sprache 11 1934 p. 130
39) Osthoff: Morphologische Untersuchungen I p. 104
40) Noreen: Geschichte der nordischen Sprachen (Paul: Grundriß der germanischen Philologie I) p. 629
41) Grimm: Deutsche Grammatik III Göttingen 1831 p. 645 adn.
42) Zeuss: Grammatica Celtica, Berolini 1871 p. 303
43) p. 304
44) p. 304
45) p. 304

Eadem regula in lingua Bretonica adhibetur[46], exempli causa „seith mlyned“: septem anni, „nau nieu“: novem dies. Transfertur tamen infectionis vis in alia numeralia, in quibus non est eadem causa, veluti „pedwar ugeint mlyned“: viginti quattuor anni, „chue ygeyn myu“: sexies vicenae vaccae, „can myhu“: centum vaccae.

Notanda sunt substantiva numeralia Gaelica[47] „seachdnar“, „naoirnar“, „deichnar“, ex quibus „n“ transgressa est etiam in „cuignear“, „sèanar“, „ochdnar“.

e. De linguis Romanensibus

Multo plura exempla analogiae linguae Romanenses praebent. Quarum dictiones analogicas enumerans ita progrediar, ut primum linguam Francogallicam, deinde Hispanam atque Lusitanam, tum Italianam atque Engadinensem, postremo Valachicam tractem.

In lingua Francogallica „le huit“ et „le onze“ cum hiatu pronuntiantur, cum ceteri omnes numeri praeter „un“ primam litteram consonantem habeant. Etiam numerale „un“ interdum in hiatu positum est. De dictione „le huit“ Nyrop in grammatica historica linguae Francogallicae[48] haec dicit: „Depuis le commencement du XVII siècle, „le huit“ est regardé comme commençant par un h aspiré, et on dit „le huit“ sans élision et „les huit“ sans liaison. Cette particularité est due à l'analogie des autres noms de nombres qui commencent tous excepté „un“ et „onze“ par une consonne: „le six“, „le sept“ amènent „le huit“. De „le onze“[49] Nyrop docet: „Il faut remarquer que, depuis longtemps, „onze“ est regardé comme commençant par un h aspiré, et qu'on prononce en parler soigné „le onze“. Cette particularité s'explique par l'analogie avec les autres noms de nombre.“ De „le un“[50] Nyrop docet: „On trouve des hiatus dans la langue moderne: de une heure à deux; un salaire de un franc vingt-cinq centîmes etc.“

Numerus „decem“ in lingua Francogallica „diz“, „dis“ factus est, sed postea in „dix“[51] mutatus est secundum „six“, quo in vocabulo littera „x“ per viros doctos etymologice scribendi causa restituta est.

Lutetiae Parisiorum „vingt“ saepe cum „e“ „vingte“[52] pronuntiatur ad analogiam ceterorum numeralium denariorum „trente“, „quarante“ sim. Qua de re Ménage[53] in observationibus grammaticis dicit: „Pour représenter la prononciation Parisienne, j'écrirois „vintedeux“, „vintetrois“, comme on écrit „trente-deux“, „trente-trois“ etc.“

---

[46] Zeus p. 206
[47] Zeuss p. 313
[48] Nyrop: Grammaire historique de la langue française, Copenhague 1903 II § 481 p. 335
[49] Nyrop II § 482 p. 336
[50] Nyrop I § 282 p. 230
[51] Nyrop II § 481 p. 336
[52] Nyrop II § 483 p. 337
[53] Ménage: Observations p. 363

Ordinalia linguae Francogallicae medii aevi „oidme“, „nuefme“ secundum „sedme“, „dizme“ figurata sunt. Quibus de formis Nyrop [54]) docet: „Comme adjectif numéral on s'est servi dès les plus anciens textes de la forme analogique „oime“, „oidme“, „oitme“, „uime“, „uidme“, „uitme“, remontant à „*octimus“ (cf. Ὀκτιμος, Octemus p. 135), fait sur le modèle de „septimus“. „None“ a été remplacé dès les plus anciens textes par une forme analogique „neume“, „nuefme“.“

Hodie omnia ordinalia in „-ième“ exeunt, quae formatio numero „decimus“ videtur orta esse. Numerus ordinalis Latinus „decimus“ temporibus medii aevi in regione media Francogalliae „disme“, in regione occidentali „diesme“, in regione orientali „deisme“ factus est [55]).

Lingua Hispana haec exempla analogiae praebet:

Numerus „cinco“ [56]) secundum „cuatro“, „ocho“ formatus est.

„Noventa“ [57]) consonantem „v“ e numero „nove“ assumpsit.

Ordinalia [58]) exitu distributivorum „-eno“ figurantur.

Numeri ordinales „onzavo“, „dozavo“ [59]), qui ad numeros fractos significandos adhibentur, secundum „octavo“ formati sunt.

Eodem modo numeri Lusitani „cinco“ [60]), „noventa“ [61]), „seisavo“, „desavo“ [62]) explicandi sunt.

Praeterea in lingua Lusitana numerus „seismo“ est, qui formam Latinam vulgarem „*seximus“ secundum „septimus“, „decimus“ postulat. Qua de re Nunes in grammatica historica Lusitana [63]) dicit: „Ao lado de „sextus“ . . . deve ter existido a forma popular „*seximus“, a qual deu origem a „seismo“, „seisma“ ou „sêsmo“ e „sêsma“; „séistimo“, que tambêm existiu, deve ser forma analógica a „seitimo“, com que o antigo português exprimia o ordinal de „sete“.“

„Cincoenta“ [64]) pro forma medii aevi „cinquaenta“ numero „cinco“ effecta est, quam rem Nunes ita exprimit: „Cincoenta“, arc. „cinquaenta“, que por seu lado sofreu tambêm influência de „cinco“.“

„Milhenta“ [65]) forma vulgaris iuxta „mil“ numeris denariis in „-enta“ exeuntibus orta est.

Ad linguam Italianam pervenimus. Usque ad aetatem poetae Dante numerus „decem“ „diece“ pronuntiabatur, temporibus posterioribus „dieci“ [66]) secundum „venti“.

---

54) Nyrop II § 492 p. 347
55) Meyer-Lübke: Grammatik der romanischen Sprachen, Leipzig 1890—1902 vol. II § 561 p. 594
56) Meyer-Lübke: Romanisches etymologisches Wörterbuch, Heidelberg 1911 Nr. 6964
57) Meyer-Lübke: Gr. II § 560 p. 592
58) Meyer-Lübke: Gr. II § 561 p. 593
59) Meyer-Lübke: Gr. II § 561 p. 594
60) Meyer-Lübke: Wb. Nr. 6945
61) Meyer-Lübke: Gr. II § 560 p. 592
62) Meyer-Lübke: Gr. II § 561 p. 594
63) Nunes: Compêndio de gramática histórica Portuguesa, Lisboa 1919 p. 211
64) Nunes p. 208
65) Cornu: Die portugiesische Sprache (Gröber: Grundriß der romanischen Philologie) p. 1015 adn. 2
66) Meyer-Lübke Gr. I § 306 p. 246

Numerus „sex“ est „sei“, sed Genuae aetatibus medii aevi „sexe“ [67]) scribebatur, quae forma „seše“ enuntiabatur ad analogiam numeralium „cinque“ et „sette“.

„Novanta“ [68]) ut in linguis Hispana et Lusitana „noventa“ secundum „nove“ formatum est.

Litterae „-ent“ in „ventesimo“ [69]) pro „vigesimo“, item „trentesimo“ sim. e numeris denariis cardinalibus Latinis „-ĭnt-“ exhibentibus sumptae sunt.

In lingua Engadinensi unum tantummodo exemplum analogiae inveni: Exitus ordinalis „-avel“, „-evel“ ex „octavus“ > „okavel“ [70]), „okevel“ in omnia ordinalia propagatus est (cf. p. 153 IX).

Complura exempla lingua Valachica continet:

Numerus „sex“ secundum „şapte“ disyllabon „şase“ [71]) formatus est: „şase“ < „*sesse“ < „*sess“ < „sex“.

Consonans „p“ in „opt“ [72]) non numero şapte, sed legibus linguae Valachicae effecta est, cum in lingua Valachica coniunctio consonantium Latina „ct“ [73]) semper in „pt“ transeat (cf. „fapt“, „trapt“, „lapte“).

Istrovalach. „nopt“ [74]) pro „nouă“ secundum numerum antecedentem „opt“ formatum est.

Vocalis „i“ in „paisprezece“ [75]) pro „patrusprezece“ (quattuordecim) et „şaisprezece“ pro „şasesprezece“ (sedecim) numeris „doisprezece“, „treisprezece“, „cincisprezece“ effecta est.

II. De assimilatione vocalium

Etiam hic exempla linguae Graecae afferimus:

In commentario „Assimilationen benachbarter einander nicht berührender Vokale im Griechischen“ Iohannes Schmidt haec exempla e numeris Graecis notat: ἕβδομος pro *ἕβδεμος,[76]) Arcad. ἑκοτόν, δέκοτος pro ἑκατόν, δέκατος [77]).

Vocales syllabarum posteriorum numeralium „sibun“, „zehan“ in lingua Diutisca medii aevi terminationibus declinationis saepe adaequantur, exempli causa „sibini“, „zehiniu“ [78]).

In lingua Francogallica substantivum cum adverbio numerali „bis“ compositum „bilancea“ in „balance“ mutatum est [79]).

Lingua Engadinensis exempla „sasainta“, „satainta“ offert [80]).

---

67) Puşcariu: Etymologisches Wörterbuch der rumänischen Sprache, Heidelberg 1905 Nr. 1529
68) Meyer-Lübke: Gr. II § 560 p. 592
69) Meyer-Lübke: Gr. II § 561 p. 593
70) Meyer-Lübke: Gr. II § 561 p. 593
71) Puşcariu Nr. 1529
72) Meyer-Lübke: Gr. II § 559 p. 591
73) Meyer-Lübke: Gr. I § 459 p. 385
74) Puşcariu 1529
75) Puşcariu 1529
76) KZ XXXII p. 325
77) KZ XXXII p. 371
78) Dieter: Laut- und Formenlehre der altgermanischen Dialekte p. 760
79) Nyrop I § 506 p. 377
80) Meyer-Lübke II § 559 p. 591

III. De contractione vocalium

Vocales syllabarum vicinarum interdum in unam coalescunt ut in Lat. inscr. „qarranta".

In lingua Graeca recenti nonnulla exempla habemus: δεκάξε, δεκαφτά, δεκοχτώ, τριάντα, σαράντα, ὀγδόντα [81]).

Contra latinitatem vulgarem in lingua Lusitana medii aevi etiam formae numeralium denariorum nondum contractae extant, e. c. „quaraenta", „cinquaenta" [82]).

In lingua Frisionum „fiower" in „fiôr" contractum est [83]).

Gotones, qui Chersonesum Tauricam incolebant, „quattuordecim" „furdeithien" pronuntiabant, quae formae ex „*feordeithien" > „feurdeithien" orta est [84]).

In lingua Persica hodierna „čihil" (i. e. quadraginta) in „čīl" contrahitur [85]).

IV. De dissimilatione vocalium

Dissimilatio vocalium multo rarius occurrit.

Hisp. „veinte", „treinta" ex „viginti", „triginta" orta sunt [86]).

In dialecto quadam linguae Catalanae compositio Latina „decem et septem" in „dezaset" mutata est, cuius formae „a" vocalis dissimilatione explicatur [87]).

V. De anaptyxi vocalium

Novae vocales inprimis ante sonos liquidos oriuntur.

Numerus ordinalis Graecus ἕβδομος ita declarari potest: „*septmos" > *ἕπτμος > *ἕβδμος > ἕβδομος [88]).

In lingua Diutisca medii aevi inter „z" et „w" saepe vocalis nova oritur, exempli causa in parte priore glossarum Keronis „zouueim duobus" legimus, in psalmis a Notkero in linguam Diutiscam conversis formae „zewêne", „zewei", „zewelf", „zewifalt" inveniuntur [89]).

VI. De assimilatione consonantium

In dialectis Attica et Boeotica coniunctio consonantium τϝ in ττ assimilatur, e. c. τέτταρες, πέτταρες [90]).

---

[81]) Thumb § 127 p. 75
[82]) Nunes p. 206
[83]) Diebs: Geschichte der friesischen Sprache (Paul: Grundriß der germanischen Philologie I Straßburg 1901) p. 1361
[84]) I F 13 p. 18 (Loewe)
[85]) Horn: Neupersische Schriftsprache, Straßburg 1901 (Grundriß der iranischen Philologie I 2) § 57 p. 114
[86]) Meyer-Lübke I § 601 p. 494
[87]) Salow: Sprachgeographische Untersuchungen über den östlichen Teil des katalanisch-languedokischen Sprachgebietes, Hamburg 1912 I § 123 p. 149
[88]) Meyer § 403 p. 502
[89]) Braune: Ahd. Gr. 1921 p. 61 s.
[90]) Meyer § 285, § 400

Lingua Italiana assimilationes „sette" et „otto" praebet, quae interdum iam aetate latinitatis vulgaris occurrunt [91]).

In lingua Germanica hodierna vulgari saepe „fuffzehn", „fuffzig" pronuntiatur [92]).

Etiam in lingua Diutisca medii aevi assimilatio invenitur: „dritto" < „dritjo" (cf. Got. „þridja") [93]).

Lingua Anglosaxonica medii aevi „endleofan" in „allefan" mutat [94]).

Septentrionales quoque linguae Germanicae assimilationes continent: „fimm" [95]), „átta" [96]) „tottogo" [97]) (viginti).

In linguis Indicis hodiernis consonantes persaepe inter se adaequantur, exempli gratia Marathi „pannās" [98]) < Skr. „pañcāšat" (quinquaginta), Gujarati „sattāvīs" [99]) < Skr. „saptavimšati" (viginti septem).

VII. De dissimilatione consonantium

Aeque ac vocalium etiam consonantium dissimilatio raro occurrit.

In omnibus linguis Romanensibus dissimilatio „quinque" > „cinque" perfecta est, quam iam in inscriptionibus Latinis vidimus [100]).

Dialecti Piemontesis, Langobarda, Sarda, Catalana „noranta" pro „nonanta" dicunt „n-n-n" > „n-r-n" [101]) dissimilantes (cf. „novaginta" p. 84).

VIII. De metathesi consonantium

Apud Homerum τέτρατος iuxta τέταρτος legimus [102]).

Haud scio an metathesis consonantium subsit in mensuris ξέστης, ξεστίον [103]) fortasse ab ἕξ derivatis; cf. glossam Hesychii: ξέστριξ κριθή· ἡ ἑξάστιχος. Κνίδιοι.

In lingua Hibernica numerus „cethorcha" (quadraginta) ex „cetrucha" ortus est [104]).

IX. De anticipatione consonantium

In lingua Engadinensi pro numero ordinali „octavus" iuxta „okavel", „okevel" semel etiam „oltavel" occurrit [105]) (cf. p. 151).

---

91) Meyer-Lübke I § 150, § 184
92) Heyne: Wb. I p. 1002
93) Brugmann: Grdriß II 2² § 47
94) Rumpelt: Pron. u. Zahlw. § 47
95) Noreen: Altnord. Gr. § 449
96) Noreen: Geschichte der nord. Spr. (Grdriß I 629)
97) Noreen: Gr. § 266
98) Seddon: An elementary Marathi grammar, Oxford 1931 § 19 p. 16
99) Stevensen: First steps in Gujarati, Oxford, London, Surat 1913 p. 41
100) Meyer-Lübke I § 3
101) Meyer-Lübke II § 560
102) Meyer § 400 p. 499
103) Brugmann: Gr. Gr. § 131 p. 159
104) Brugmann: Grdriß II 2² § 27
105) Gartner: Rätorom. Gr. § 200

Epilogus

Ita omnia, quae in numeralibus Latinis epigraphicis observavimus, in ordinibus quoque numeralium ceterorum sermonum Indogermanicorum eodem modo occurrere videmus. Sed non solum linguae Indogermanicae regulis mutationis, quae supra commemoratae sunt, utuntur, sed eadem ratione ceteri omnes sermones orbis totius terrarum; exempli gratia in linguis Semiticis in numeralibus praecipue dissimilatio consonantium adhibetur, in linguis Uraloaltaicis assimilatio vocalium, in lingua Iaponica assimilatio consonantium.

Vita

Natus sum Franciscus Hallbauer a. d. VI. id. Maias anno huius saeculi VII in vico Cracau prope Magdeburg patre Henrico, matre Elsa e gente Lönnies, quibus superstitibus valde gaudeo. Fidei addictus sum evangelicae. Primitiis litterarum instructus a. MCMXVI gymnasium patriae urbis, paedagogium claustri Nostrae Virginis, adii. Gymnasium frequentavi usque ad ver a. huius saeculi XXV. Maturitatis examine superato ut studiis philologicis me dederem, almam matrem Halensem adii, cuius civis bis senos menses fui. Deinde bis senos menses Gottingiae et sex menses Berolini versatus a. h. s. XXVII ad absolvenda studia Halas Saxoniae redii. Docuerunt me viri doctissimi Gottingenses † Andreas, † Baehrens, Fick, H. Fraenkel, Hofmann, Lipps, † Nelson, Nohl, Pohlenz, † Reitzenstein, E. Schroeder, Berolinenses Bolland, Köhler, † Marquart, Petersen, † Runze, † W. Schulze, Strecker, Vasmer, † de Wiiamowitz, Halenses Baesecke, † Bremer, Diehl, Heimann, Karo, Kern, † Lezius, Menzer, F. J. Schneider, Schultze-Galléra, Specht, † Wiese, Ziehen. Ad proseminarii exercitationes me admiserunt Reitzenstein, Pohlenz, Diehl per quater senos menses. Bis senos menses sodalis fui seminarii philologici Halensis Kern et Diehl regentibus. Praeterea ad exercitationes me admiserunt Germanicas Baesecke, Schneider, paedagogicas Nohl, philosophicas Lipps, Ziehen, Slavicas Vasmer, Lezius, Sanscriticas Fick, Heimann, Indogermanicas Andreas, Specht. Quibus omnibus viris bene de me meritis debitam habeo gratiam, maximam vero Ernesto Diehl, qui huius dissertationis auctor semper opera et consilio benevolentissime me adiuvit.

Corrigenda

ad p. 6, 14 lege: commemorat
ad p. 15, 8 lege: cuntellum
ad p. 49, 26 insere ante „annos": per
ad p. 49, 32 lege: 81
ad p. 61, 11—13: Sed potius „viginti sex" ea circumlocutione expressum est.
ad p. 65, 8 lege: dictione
ad p. 66, 33 lege: multiplicandi et addendi
ad p. 70, 10 lege: addendi et multiplicandi
ad p. 96, 4 insere post numeros: Casini
ad p. 96, 25 lege: [1])
ad p. 106, 10 lege: 103
ad p. 112, 19 lege: de mensibus
ad p. 116, 4 lege: sex
ad p. 117, 30 lege: subtrahendi
ad p. 136, 25 lege: nomina
ad p. 138, 34 lege: qattor
ad p. 139, 1 lege: „-nct-"
ad p. 139, 22 lege: S e s t a t i e n s i s
ad p. 142, 13 lege: b i s c a n d e n s
ad p. 150, 5 lege: 140